M. ANTONIJ BONCIARIJ PERUSINI IDYLLIA & SELECTARUM...

Giovanni Battista Coccini

Digitized by Google

M. Antonij
BONCIARII
PERVSINI

Idyllia & ſelectarum Epiſtolarum
Centuria noua

CVM DECVRIIS DVABVS.

Ad Illuſtriſsimum atq; Ampliſsimum Dominum
MARCVM VELSERVM
Duumuirum Auguſtanum.



PERVSIÆ,
Apud Academicos Auguſtos. CIↃ IↃCVII.

Superiorum Permiſſu.

Impenſis Marci Naccarini.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISS.^MO ET AMPLISS.

Viro

MARCO VELSERO

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

M. Antonius Bonciarius S.

QVA epiſtola nūcias meā Seraphida, & Pios verſus Auguſtam ad te miſſos Venetijs; ea me ſublatenter & quaſi agens aliud, monebas vt pangerē aliquid de veſtratibus Catholicę Fidei Martyribus, eoſq; mox Heroibus adiungerē meis. Dabam per id temporis pauca Idyllia, & tibimet deſtinaueram. Teſtes ſunt trimetri dedicantes: quorū licet officium atq; vſus perierit, præfixa verſibus hac epiſtola; tamen perire illos non ſuſtinui ob id potiſſimum, vt meis facerent dictis fidem. Quę fuit cauſa, vt genus idem ſcribē-

Digitized by Google

di adhibuerim in tuis, neq; ad exitū vſq; deduxerim: ſed quod prius feceram in reliquis, vt in aliquo lepide dicto, factoue clauderē Idyllium; hoc in Afra & Narciſſo faciendum putaui, vt ſancti Epiſcopi lepidum inuentum, & fruſtratio dęmonis, non incongruum verſibus finem daret. Coronam martyrij felicius canent, quos ſua donauit Apollo. Ceterum quia paucarum admodum paginarū libellus erat futurus; hoc eſt minimā acceſſionem Seraphidi facturus, ſi tantum Idyllia ſecum ferret; permiſi libens typographo, vt alia quædam mea cum his ederet, futura (ſicut ille ait) quaſi arrham maiorum lucubrationum, haud ita poſt cudendarum, ſi modo per amicum Numen licebit, auctis paulum viribus, & occupatione leuata. In illis eſt grande ac varium Volumen Diſquiſitionum per epiſtolam, in quo expoſui atq; compoſui, meo arbitratu, Quæſtiones longe difficiles & curioſas, credo etiam non inutiles, ad philologiam doctrinamq; omnem liberalem

maxime

Digitized by Google

maxime ſpectantes: harum fors fecit primam, quam ego ſcripſi ſupremam, exeunte anno ſuperiore, mittendam tibi (vt videbis) teſtimoniũ ſiue iudicium de Hiſtorijs tuis meũ. Nunc quid te rogem, Vir omnium humaniſſime, vt hæc libenter accipias, & libenter etiam legas, cum erit otium a curis & ſtudijs grauioribus? Proptereaquod cum ſatis compertum habeam, meas vigilias, cuiuſquemodi ſint, non ſolum legi a te, verum etiam ſolere laudari; non erat cauſa cur ſuſpicarer, has potiſſimum minus tibi placituras, quę de te forent, quas tu petiſſes, tu iuſſiſſes. quæ ratio non tantũ ad te mihi conciliandum, ac demerendũ, verum etiam ad me tibi quoquomodo excuſandum valere debet, ſi, vt celeriuſ exequerer mandatum tuum, nimis accurate, minusq; ſubtiliter expoſui conſilium & ſentẽtiam meã. Habet hoc ſcriptoris mens anxia, & nimis parendi cupida, vt quod alioqui ſatis commode feciſſet, ſi ad ſuũ ſcripſiſſet arbitrium; hoc ideo minus

Digitized by Google

commode faciat, quia iubetur, quia debet, quia laborat. SIC qui prælto impoſitam flumini trabem longam, atq; anguſtam perambulat, gradum facit magis ſuſpenſum, & minus ſecurum; quam ſi tranſeat per eamdem in plano ſitam, ab nulla parte minantem caſus & pręcipitia. Porro faciunt formido & ſecuritas tranſeuntis, vt idem ſpatium modo anguſtius, modo latius illi eſſe videatur & in altero facile ſtet, quia casū nō timet; in altero facile cadat, quia de ſtatu non confidit. Et ingenium quidem hæc ratio pręter ceteras affligere potuit: voluntatem autem & obſequium, & ſtudium erga te meum, nonnulla potuit, nec vmquā poterit vel terrere, vel frangere difficultas. Oro Deum optimū, immortalē, vt vel ſimiles tui eſſe omnes velit, qui dominantur; vel tantum det ſimilibus tui Dominatum. In Auguſta Peruſia Cal. Mart. CIↃ IↃ CVII.

Ad

Ad eundem
D. MARCVM VELSERVM
Trimetri Iambici.

Vulganda cur Idyllia dederim noua,
Inepta, pauca (inepta ſed tamen minus,
Quia pauca: ſic ingrata forſitan minus,
Quia noua) paucis exequi verbis licet:
Amicus orans inſtat, & Princeps iubet.
Ad te quid iſta miſerim, per hos dabo,
Camena quos inelegans praeit modos.
Humanitatis vinculis perennibus,
Velſere, deuinctus tuae. volui parem
Haud ego referre gratiam: quod nec mea
Poteſt ſupellex curta, nec poſcit tua
Regalis ampla, auguſta: quid igitur? dare
Saltem memoriae pignus, ac teſtem meae.
Molitus ergo grande pondus, impares
Vbi eſſe vires ſuſtinendo comperi;
Non hercle omiſi dubius at firmus parum,
Sed diſtuli coactus in breuem diem,
Dum maior a negotijs redeat vigor.
At interim me nomen vt bonum putes,
Et impigrũ, non aut malũ, aut lentũ nimis,
Libens volenſq; munus exiguum cape,
Quod non venit diſpungere vel hãc ſoluere,
Suauem catenam pedibus aeternum meis:
Sed debitum profitetur, & ſtringit fidem.

¶ 4 AD

Digitized by Google

Ad Ampliſsimum D.
MARCVM VELSERVM

IO: BAPTISTÆ LAVRI
Sacrę Theologiæ Doctoris.

Ode.

ET bene habet, Velſere, tibi quod carmina
Marcus
Peritiorum Principi, Princeps dicat.
Sic Arpinati Varro, ſic Picus Etruſci
Cæli Angelo, Bemboq; Fracaſtorius.
Certe egò (ſecedat teneri lex carminis) optem
Stylo eruditiore in Aſtra tollere
Vtroſque: & te, Vindelicas ſpectande per oras,
Beatitatis fruge tanta præditum;
Quantā animo, hoc æui, ſapiētū pectora fas eſt
Concipere: teq; Oenotriæ lumen tuæ,
Mirū Orbi exemplū; cuius Conſtantia mentis,
Inter tot ęgri corporis cęcas lues,
Elucet par eloquio. ſed pondere ceruix
Nimio labaſcit: voſque, ſi minus lyra,
Proſequar adfectu, nolimq; in amore vtriuſq;
Mihi anteferri quemquā. At alterū vt colo
Pręſens, & Dircęa volens me proluit vnda,
Culto effluens ab ore: ſic colo alterum,
Et mecum reuerens, Cliûs ceu Numen adoroq;
Animæq; paſſu feruido æternum ſequor.

M. AN-

M. Antonius
BONCIARIVS

Iuliano Caſtaneaceo. S. D.

VETAT Franciſcus Berna, vt noſti, carmen pangere ad imperium ſiue arbitrium cuiuſquam. mihi credito, non temere eſt. Ego alias non obſcure, ſed hodie ſum expertus planiſſime. Quoties mihi Criſpoltus imperauit, et tu rogaſti, vt canerem facetum aliquid ac ioculare, cudendum inter Vrſina, quæ nunc recuditis? nihil mihi vnquam in mentem venit; imo nec poteram appellere animum ad meditandum. Spe igitur abiecta, deſieramus moleſtiam exhibere, vos mihi, ego Muſis: cum mihi, hodie mane nihil minus cogitanti, hoc ſubito incidit Idyllio-

¶ 5 rum

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

rum. quæ dicata Illuſtriſsimo Marco Velſero ſtatim ad vos miſi. ad te inquã & Claudium Cauacepium. qui ſi forte non improbabitis, ferte cui opus eſt ſubſcribenda, & curate cum ceteris diuulganda. Si quid autem vos offenderit, putate culpam eſſe vel recentis feſtinationis meæ, vel antiquæ contentionis veſtræ. ac ſi cultius aliquid in poſterũ a me fieri vultis; cauete ſedulo, ne me rogetis, ne moneatis. faciam melius, ſi nemo dicet: mittam breuius, ſi nemo petet. Valete ex Collegio S. Bernardi. Quarto Iduũ Nouembriũ Martinalibus. CIↃ IↃ CV.

Epiſtolam meam de Vrſio, ad priſtinam integritatem reſtituendo, per me quidẽ ex libro recens edito petatis licet, & diuulgetis.

IN

IN S. AFRAM EIVSQVE SOCIAS puellas ad Deum conuerſas per S. Narciſſum.

Comes Franciſcus Santinellius Piſaurẽſis.

Dum pius inſtantem monitis cæleſtibus Afram
Antiſtes ad Cælum vocat;
Et docet illecebras æui damnare prioris,
Alto vacantem Numini:
Ecce (ſide maius!) nigris excitus ab vmbris
Incultus, horrendus, minax,
Aſmodeus Plutonis adeſt Legatus: Aframque
Repoſcit altricem ſuam,
Et ſimul Hillariæ trinas cum Matre puellas,
Eunomien, Eutropien,
Et Dignen: debere ſuo ſeruire tyranno,
Cui vinculis perennibus
Tota foret deuota domus: non iure clientas
Abduxe Narciſſum ſuas.
Te pater o dixit, ſanctum curare pudicas
Et abſtinere turpibus,
Arbitrij quas eſſe mei cognoueris, æquum eſt.
Quæ dæmonum ſophiſmata
Sic pater eluſit, proprijs vt fractus ab armis
Mox dederit Aſmodeus manum.
Et tamen inſurgit, prædãque repoſcit. Ineptũ!
Si ſqualido ac fœdo ſibi
Poſſe reſeruitum tam pulcras ire puellas,
Tenent e Narciſſo, putat.

DE S. AFRA
IN IGNEM CONIECTA.

Titus Columbus Peruſinus.

Quod nullis verbis, & nullo verbere poſſet
Certam propoſiti flectere Caius Afram;
Ferte ait: & viuā flāmis extinguite. Nūc tu
Si potes, has etiam lude ſuperba minas.
Ilicet ardenti congeſta ex ilice pyra,
In medios iaciunt corpora nuda focos.
Vritur. in Cœlum Manes ceſſere beati,
Reddidit extinctus integra membra rogus.
Sic decuit: quod cæleſtem nutriuerat ignem,
Non poſſe humano corpus ab igne teri.

Ad Eandem.
RODVLPHVS CALIDONIVS Peruſinus.

Ignis vt interior mentem purgarat ab alto
Afra tuam, ſanctis addideratq; choris:
Sic flamma exterior corpus durauit in æuum,
Teſte animi præſens vt foret Afra tui.

De Eadem
AD S. NARCISSVM EPISCOPVM

Io: Baptiſta Bottinus Lucenſis.

Aſmodeus proprio cum diſſerat ore Tonantis
Mirificos ortus, immeritos obitus,

Digitized by Google

Ad vitam reditus, populos a morte redẽptos,
Et quaecumq; ſacri poſt docuere Patres:
Demiror, quod te dicat Narciſſe, puellas
Vt furem, prædas eripuiſſe ſuas.
Nam doctore illo Cæli ſi limina diſcunt,
Et doctore illo tartara dira timent;
Deniq; ſi Superos, illo adducente, ſequuntur:
Non iſtam prædam tu rapis: ille dedit.

AD M. ANTONIVM BONCIARIVM P. C. V.

Crediderim, Vates viduatũ lumine Amorẽ
Fingere, quod lumen cœco ab amante rapit.
Aſt Odij nomen potius, quam ſumat Amoris,
Si vetat accendi, Sole oriente, diem.
Tu quia luce cares, alienaq; pectora luce
Marce beas, ingens edis Amoris opus.
Ille Dea genitus (perhibent) genitrice pudẽda:
Te mater genuit Pallas, Apollo pater.
Cumq; fauens alas dederit tibi Fama: per Orbẽ
Ecce volas, alter lumine caſſus Amor.

In

Digitized by Google

In M. Antonium
BONCIARIVM
ANAGRAMMATISMVS.

Fabiani Dominici.

MARCVS ANTONIVS BONCIARIVS
MVSIS CARVS NOVA IN ORBE CANIT.

Cum ſit cæcus Amor, totū tamen impiger orbē
Peruolat, atq; hominum mollia corda ferit.
Eſt etiam cæcus Marcus: tamen intonat Orbē
Lingua viri, atq; hominum pectora dura
mouet.
Eſt Muſis inuiſus Amor, quia ſtulta poëtis
Ingerit, obſceni carmina plena ioci.
Hic MVSIS CARVS NOVA *carmina, ple-*
na pudoris,
Plena ſalis, toto clarus IN ORBE CANIT.

Sopra

Digitized by Google

Sopra il Martirio

DI S. AFRA,

PROTETTRICE DELLA CITTA D'AUGUSTA.

SONETTO

del Signor

ANTONIO BENI DA S. SEVERINO.

MILLE amanti impiagaſti: hora di ſtrali
Fatt'e certo berſaglio, Afra il tuo core.
Poiche il ciel fatt'arciero, auuenta fuore
Al tuo petto amator colpi mortali.
Deſti ad altri le fiamme: hor ſpiega l'ali
Fortunata Fenice, alma d'amore.
Ecco il rogo fumante, ecco l'ardore
De le pure del ciel fiamme vitali.
O qual riſorgerai ne l'alto impero
Fra le ſante di Chriſto anime belle,
Per ſatiar d'amor l'alma, e'l penſiero?
Amor t'è guida; e gia le fiamme anch'elle
T'apron'fatte animate, ecco il ſentiero,
Alma nata a calcar del ciel le ſtelle.

DEL

DEL MEDESIMO.

ERA la ſcena già ſcoperta, e mille
Globi di fiamme al ciel ſalian feruenti,
E gl'apparati tragici, e dolenti
Parean meſti verſar ſanguigne ſtille.
Quando le luci al ciel Afra tranquille
Riuolſe, e diſſe con ſoſpir cocenti,
Hora ſarete, o dolci fiamme ardenti,
Del mio ſanto Himeneo faci, e fauille.
Per gire in braccio al ſuo celeſte Amore,
Si gittò poſcia oue piu il foco ardea,
E reſtò intatta dal intenſo ardore.
Ben hebbe ſpirto il foco, e conoſcea,
Che chi per Chriſto hauea piagato il core,
Sol del foco di Chriſto arder douea.

MA-

Digitized by Google

MADRIGALE

Del Signor FRANCESCO MARIA CONTE DI MONTE VECCHIO.

AFRA, ſe quel ardente
Foco, ch'intorno intorno
Perfida man t'accende,
Intrepida ſoſtieni, e non t'offende;
E ſe godi ridente
Fortunato ſoggiorno,
Salamandra di Chriſto, entro le fiamme:
Merauiglia non è, poi c'hai nel core
Di celeſte deſio foco maggiore.

Del medeſimo.

AFRA, mentre ti ſtai
Baldanzoſa, e ridente
Fra quella fiamma ardente,
E mentre in grembo a quel acceſo ardore,
Godi lieta, e feſteggi,
E tutta intenta al Ciel, il Ciel vagheggi;
Fenice ti direi;
Che tale appunto ſembri a gl'occhi miei.
Ma ſiete in queſto poi
Differenti: di voi
L'vna riman fra noi, le piume accende:
L'altra intatta riſorge, al Ciel aſcende.

IN-

Digitized by Google

INDEX
Eorum ad quos Epiſtolæ mittuntur.

A.

Alexandro Burghio Epiſcopo. 157.
Alexandro Gallo. 79.
Alexandro Magio Gubernatori. 36.
Aloyſio & Ludouico Gallis. 78.
Andrææ Chiocco Doctori Medico. 159.
Andrææ Moricono Vicario. 85.
Angelo Ciaio Abbati. 35.
D. Angelo Grillo Abbati. 32.
Angelo Roccæ Epiſcopo. 48.
Antonio Mariæ Narduccio I.V.C. 165.
Aſcanio Columnæ Cardinali. 100.
Auguſtino Angelello. 95.
Aeneæ Spennactio. Tom. 2. pag. 99.

B.

Baptiſtę Guarino. 45.
Bartholomæo Floravantio. 94.
Benedicto Monaldo. 107.
P. Bernardino Stephonio Societatis Ieſu. 33.
Bonifacio Beuilaquę Cardinali. 90. 90.

C.

Cæſari Baronio Cardinali. 93.
Cæſari Blanco Tetrico. 179.

Cæſari

Digitized by Google

Cæſari Criſpolto. 98.
Camillo Baronio Abbati. 62.
Camillo Venantio. 173.
Carolo Pio Cardinali. 61.
Claudio Cauacepio. 73.
Conſtantio Paulucio. 58.
Coſmo Syrio. 88.
Cyriaco Roccio. 72.

D.

Dominico Paſſionæo. 126.
Dominico Pinello Abbati. 66.
Dominico Tempeſtæ. 80.

E.

Erycio Puteano. 26. 76.
Erycius Puteanus. 75. 191.

F.

Federico Corneo Abbati. 105.
Flaminio de Biſcacciantibus. 132.
Franciſco Maſſolino. 146.
Com. Franciſco Mariæ a Monte Veteri. 104.
P. Franciſco Remondo Societatis Ieſu. 152
Franciſco de Vbaldis I.V.C. 140
Franciſco Vibio. 97.
Franciſco Vicino Canonico. 124.
Fuluio Corneo Marchioni. 49.
Fuluio Paulucio Archidiacono. 138.

Gaſpari

Digitized by Google

G.

Gaſpari Murtulæ. 162.
Georgio Contareno. 157.
Com. Gregorio Beuilaquæ. 176.

H.

Hannibali Valeriano. 192.
Fr. Hieronymo Capuccino 135.
Hieronymo Figino. 133.
Hieronymo Mercuriali. 189.
Hieronymo Tetio. 167.
Com. Honorato Vicecomiti. 67.
Horatio Lombardellio. 51.
Horatio Vimercato. 133.

I.

P. Iacobo Mercato Silueſtrinorum Generali. 117.
Iacobo Victorio. 126.
Io: Baptiſtæ Sacco. 77.
Io: Baptiſtæ Marino. 142.
Io: Baptiſtæ Remboldo. 50.
Ioanni a Prato. 175.
Iulio Cæſari Stellæ. 44.
Fr. Ioſepho Columbinio. 139.
Ioſepho Phauorino Doctori Medico. 128.
Iuſto Lipſio V.C. 38.56.57.59.60.
Iuſtus Lipſius. 40. 58.58.

Lælio

Digitized by Google

L.

Lælio Vbaldino. 163.
Latino Mencoccio. 149.
Fr. Laurentio Capuccinorum Præfecto Generali. 156.
Laurentio Magalotto. 69.
Leoni Oliuæ. 29.
Lucullo Baſſo. 141.
Fr. Ludouico Capuccino a Nurſia. 155.
Com. Ludouico a Firſtimberg. 183.
Com. Ludouico Sarego Gubernatori. 68.

M.

M. Antonio Bonciario. 58. 75. 191.
M. Antonio Maſſio. 70.
M. Antonio Salmucio. 108. 109.
M. Antonio Synæſio. 81.
M. Antonio Virgilio Battiferro. 41.
Marco Velſero V.C. 186.
Mario Celſo. 70.
Mauritio Cataneo. 136.
Mucio Manfredo. 54. 55.

N.

Neapolioni Comitolo Epiſcopo. 27.
Nicolao Errerę. 144.
Nicolao Senſio. 64.

Petro

Digitized by Google

Petro Bernardo. 120.
Petro Dino. 65.
Petro Donato Cęſio Abbati. 111.
Petro Gentili Seraphino, 71.
Petro Guidoni, 110.
Philippo Strozzio. 181.
Porphyrio Feliciano Abbati. 42.
Paulo Ambroſino, Tom.2. pag. 100,

Q.

Quinctio de Bubalo Præfecto Arcis.182.

R.

Roberto Bellarmino Cardinali. 34.

S.

Scipioni Barnabæo. 114.
D. Sebaſtiano Fabrino. 121.
Sebaſtiano Maccio. 83.
Senſo Senſio I. V. C. 46.
Seraphino de Seraphinis. 130.
D. Sebaſtiano Rancanello. Tom.2.pag.103.

T.

Fr. Theodoſio Veliæ. 101.
P.P.Tinnulo, & Burlamacco. 128.
Typographus. 25.87.150.
P. Valentino Mangionio Societatis Ieſu.88.
P.Valeiro

Digitized by Google

V.

P. Valerio Setę Seruitæ. 122.
Vincentio Petrolino Epiſcopo. 120.
Vincentio Vitelleſco. 151.

Z.

Zenobio Bonamico. 31.

IDYLLIORVM ELENCHVS.

S.S. Afra & Narciſſus Idyll. I.
Angelus Cuſtos. Idyll. II.
Michael Angelus Bonarota. Idyll. III.
Io: Petri Maffei laudes. Idyll. IV.
Pia Poeſis defenſa. Idyll. V.
Marci, Velſerus & Bonciarius. Idyll. VI.
Phillis & Polycrates Idyll. VII.
Epitaphium I. Lipſij. Idyll. VIII.

Admonitio

Digitized by Google

Admonitio.

Lectorem monemus, in folio ſequenti paucorũ exemplarium, bis peccatum eſſe ab operis: hoc eſt ſemel in numeris, quos ſingulos vitiarunt, incipientes a 293. vſq; ad 316, cum debuerint ab vno ad viginti quattuor: iterum in littera indice, quæ compactorem docere habet ordinem foliorum, ponentes H. pro ✳. Deinceps.

Pag.	Verſ.	Errata.	Corrige.
29.	8.	Octoctobris	Octobris
31.	8.	exibendum	exhibendum
32.	24.	Seraphydos	Seraphidos
38.	33.	videbam. Vere	videbam, Vere
43.	19.	ſidem	fidem
44.	11.	aliquot	aliquod
47.	34.	Angeli	Angelo
49.	25.	quemã modum	quemadmodum.
55.	17.	vſpiæm	vſpiam
63.	3.	quondam	quodnam
96.	32.	officioſsime	officioſiſſime
98.	3.	capitem	capite
100.	24.	ſubſiduim	ſubſidium
131.	5.	æquæ	æque
153.	18.	ſodalse	ſodales
154.	32.	oblectactamenta	oblectam enta
162.	21.	pericoloſum	periculoſum.
171.	1.	da	ad
176.	1.	Miror	Minor
181.	30.	dici	diei
189.	14.	Aethera;	Sidera;
192.	4.	hanc	hunc

M.AN-

Digitized by Google

M. ANTONII

BONCIARII.

DE S. AFR[A]

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IDYLLIVM PRIMVM.

S. Narciſſus Aſmodeum reuincit, verbis eludit, ſupplicio mulctat.

DENA ſub Auguſtis clades indicta tyrãnis
Immanior, ferocior, nocentior,
Chriſtiadum fortes animos durabat, apertum
Per aſperas tendentium ad cælum vias:
Cum venit Auguſtã Præſes Narciſſus in Vrbẽ,
Qua Vandalum diſterminat Rhæto Lycus.
Et prius illuſtrẽ, quam ferret in ęthera palmã
Victor, beatos inter exceptus lares;
Aſmodeum docto conterruit ore furentem,
Et mox faceto ſupplicem luſit ioco.
Afra erat inſignis facie, vultuq; decoro
Puella. Cyprus patria: vix notum genus,
Haud vulgare tamen. Veneri ſeruire parẽtes
Iuſſere, ſacris illigantes turpibus.
Cum Domina pulchras pariter ſeruire puellas
Eunomien, Eutropien, Dignen iubent.
His comes accedens & mater Hilaria; queſtũ
Simul pudendas inter exercent lupas.
Numinis afflatu (quid enim rear?) nſcius illã
Narciſſus, atq; diaconus Felix domum
Ingreditur: traherent cũ ſera crepuſcula noctẽ.

Priuſq;

Piuſq; late ſpargeret cruor forum.
Barbara ſeuities! quã tempora nulla, nec ipſ
A cædibus retraheret occiſus dies!
Nec longum in medio tempus: ſenſere puellæ
Diuinitus, quam turpe patrarent nefas:
Et deteſtantes habitum, moreſq; pudendos,
Cum lacrymis orare ſupplices Patrem,
Vt ſibi præſidium pius imploraret ab alto,
Peccantium patronus, & miles Dei.
Suſcipit Antiſtes, monitiſq; ſalubribus armat
Hinc turpibus cor expians purgat notis.
Illæ agere ingentes homini pro munere grates;
Offerre Cælo vota noctes & dies,
Ingeminare preces, veniam clamare per aras:
Nudum flagello corpus interim quati,
Lumen fraudari ſomno, ieiunia ventrem
Domare, nulla corpori quies dari.
Exultare Pater, talem quod in æthera prædam
Adduceret; dolere Pluton, quod ſuas
Perderet ancillas, cultrices atq; clientas,
Quæ ſemper Orcum gente ditabant noua,
Et ditaturas longum ſperabat in æuum,
Cor impotentum vincientes pectorum;
Captiuumq; ſibi laturas agmen amantum,
In melle quotquot falleret virus latens.
At quos non hominum fallit? quis dulce venenũ
Non ſponte ſtolidus haurit, & lubens perit?
Dux ergo Aſmodeus, telis inſtructus Auerni,
Ad retrahendum mittitur abactum gregem.
Cornigera qui fronte minax, & lumine toruo,
Manus aduncas præferens, os hiſpidum,
Impexam barbam, foedos rubigine dentes,
Et ſordidum ſpumantibus rictum labris,
Aduolat

Digitized by Google

Aduolat Auguſtam puraq; impurus in ęde
Sanctam puellas dum docet legem Pater,
Improuiſus adeſt. rigida mox voce magiſtrum
Antiſtitem compellat, ac terret palam.
Quid tibi cũ ſcortis, inquit, Narciſſe pudendis?
In caſtra quid te video tranſgreſſum mea?
Rex tuus in ſanctos regnat, puroſq; penates,
Quos Caſtitas exornat, & colit Fides.
At non obſcœnoſq; lares fœdumq; lupanar
Intrare fas exiſtumat, regnum meum.
Hæc Veneri, hęc nobis domus eſt addicta; quid
Habere iuris Prẹſulẽ caſtũ decet? (hic te
Vt puras non tango tuas ego fœdus alumnas;
Sic tu ſceleſtis abſtine ſanctus meis.
Talia dat placido Plutonius ore miniſter;
Talem viciſſim reddit affatum Pater.
Impero per cęli Dominum mundiq; Potentem,
Nutu ſtygem, pigroſq; terrentem lacus:
Vt quæcunque rogem, præſens ad ſingula verũ
Reſpondeas, ſis falſus, ac mendax licet.
Scin' tu, Virginea genitum de Matre Tonantẽ,
Sub horrida Bethlemijs in finibus,
Ad lucem prodiſſe ſpecu? ſcin' ſidus Eoos
Cœleſte reges hęc ad incunabula
Perduxiſſe vagos? data regia munera? Numen
Coluiſſe nudo vertice, & flexo genu?
Annuit Aſmodeus, repetit Narciſſus: At illum
Scis poſtea crudelibus luſum modis,
Conſputum, irriſum, vinctum, duriſq; flagellis
Cæſum, cruento deniq; affixum trabi?
Scin' igitur quæcũq; loquor facta omnia? Quid ni
Sciam? ſcio plus, inquit, ac ſenſi miſer,
Quam mihi, quã ſocijs, dominoq; duciq; ſilẽtum

Expediat, & quam vellet inferſim domus.
Tēpore nā ex illo, cū veſter ab arbore Chriſtus
Pependit, heu quam noſter increſcit dolor!
Procumbunt poſtes Erebi: ſpoliantur Auerni:
Princeps catena ſtringitur adamantina.
Vis hebet Vmbrarum, Cocitia tela fatiſcunt;
Et pœna tantum robur ac vires capit.
Neu ſaltem lateat facinus per ſecula dirum,
Sed noſter ingraueſcat æternum pudor:
Horrendum tonuere Poli, pia lumina Titan
Retraxit, abſtulitq; feſtinus diem.
Cum Domino Heroū rediuiua cadauera, noſtrū
Riſere nexu ferreo vinctum ducem.
Hic iterum Præſes, Quidnā peccauerat, inquit,
Tā grauia quod coactus eſt Dominus pati?
Non peccarat, ait, nec ferre coactus ab vllo eſt:
Nec ſua, ſed aliorum ſcelera miſerans luit.
Ergo aliena luit Dominus peccata? (reſumpſit
Epiſcopus) te verba conuincunt tua.
Nam pro peccatis pariter muliebribus, & pro
His hoſtitis perpeſſus eſt ſimul meis.
Quas quoniam tædet ſcelerum, vitæq; prioris;
Libens volenſq; recipit indulgens Pater.
Quid tu igitur, quid iuris habes immundus in (iſtas,
Cruore quas Redēptor emūdat ſuo?
Excipit Aſmodeus: Mea sūt hęc pignora: prædā
Hanc ſum lucratus ipſe. quid tangis meam?
Si verum loqueris, ſi non mentiris: Age, inquit
Narciſſus: hæc ſi furta prædicas tua,
Furem habeo teneoque: gregē prædator abactū
Reſtitue. Paſtor repetit amiſſas oues.
Quare age Cimmerijs iterum te cōde tenebris,
Iam lege, nunc & ore damnatus tuo.

Con-

Digitized by Google

Concidit, & telo tamquam transfoſſus acuto,
Supplex precatus lictor infernus Patrem,
AT tu ſaltem animam, dixit, concede petenti:
Vnam repoſco: ceteras mittam lubens.
Quid tu illa facias? inquit Narciſſus: In Orcum
Feſtinus, inquit, principem ad meũ trahã.
Cras dabo: ne dubita: redeas modo. Suſpicor in-
Ne forte fallas: aduoca teſtẽ Deum, (quit,
Quod mihi das viuentẽ animã potantis, edẽtis,
Arbitrio quam torqueam ſolus meo.
Aduoco, reſpondit Pater, & promitto daturum,
Quod poſtulas: ad craſtinum venias diem,
Et viuentem animam potantis, edentis habeto,
Arbitrio quam torqueas ſolus tuo.
At permitte iſtam tecum traducere noctem.
Permitto: ſta, mecumq; (ſi potes) mane.
Si taceas, inquit, nec cælo bracchia pandas,
Libens morabor, & datam opperiar fidem.
Tu vero me, Preſes ait, mecumq; puellas,
Flexo colentes Numen æternum genu,
Pectora tundentes, & fletibus ora rigantes,
Mox audies, orare noctem perpetem,
Et tectum ſacris ipſum concentibus, ipſam
Late ſonare cantibus viciniam.
Nec mora: diuinas alterno carmine laudes
Dum concinunt, & lætus exultat chorus:
Extemplo tenues vlulans rareſcit in auras,
Et ſe nigranti reddidit fugiens Chao.
Attonitas mira rerum nouitate puellas,
Aframq; Hilariamq; confirmans Pater.
Electis poſt longa cibis ieiunia veſci,
Et recreare corpus exhauſtum iubet.
Ille nihil, Felixq; nihil guſtare miniſter,

Ad craſtinum ſed prælium vires parant.
Primamq;in lucem vigiles ad Numẽ honores,
Grateſq;opemq; ſupplices reddunt,petunt.
Mane rapax Plutonis adeſt legatus:& En me,
Inquit,paratum ferre promiſſum tuum:
Expecto quam das animã. ſunt Numina teſtes.
Tuum,Pater, negare non potes Deum.
Haud nego(Præſul ait)capies quodcũq;petiſti
Hoc ſi prius iuraueris Deum meum,
Vt niſi diſtractum laceres, niſi funere perdas,
Quẽ do; profundũ in Tartarũ præceps ruas.
Haud mora:Iuro libẽs,inquit,Narciſſe per illũ
A quo catena vinctus eſt Satan graui;
Vt niſi diſtractum lacerem,niſi funere perdã,
Quẽ das; profundũ in Tartarũ præceps ruã.
Tum demum Narciſſus,Abi fortiſſime, dixit,
Qua Iulianis flumen Alpibus cadit,
Irrigui qua fontis aquas potare ſalubres
Et paſtor, & viator, & pecus ſolent.
Hic modo cæruleus vaſto latet anguis in antro,
Agreſtium ille terror, ac peſtis virûm.
Cuius & afflatu flores moriuntur & herbę,
Longoq; tractu nitidus inficitur dies.
Quare abeũt,nec fontis aquas libare ſalubres,
Aut paſtor,aut viator,aut pecus queunt.
Hunc iubeo fortẽ perimas,animamq; draconis
In vim poteſtatemq; mox rapias tuam.
Mugijt horrendũ ſtygius veterator:& Heu heu
Me vincis,ait,& ludis impoſtor ſimul.
Me ſtolidum,qui iuraui! nunc cogor amicum,
A me necandis deſtinatum gentibus,
Perdere,ne fundum infelix detrudar ad imũ,
Miſerrimo par Principi comes datus.

Sic

Digitized by Google

Sic queritur, ſic exequitur. Mortalibus vnus
Multis peremptus reddidit vitam draco.

ANGELVS CVSTOS.

Docetur ratio precandi Superos pro tranquillo Eccleſiæ ſtatu.

Idyllium ſecundum.

CArpebam media placidũ de nocte ſoporẽ,
Cum ſic ad aures nomen intonuit meũ:
Antoni, Antoni. Trepidus formidine ſanguis
Obriguit: ingens occupat corpus gelu.
Mox vbi paulatim rediens ad munia ſenſus,
Per extimas ſecurior partes meat;
Frontem cœleſti munit pia dextera ſigno,
Et lingua fortes expedit tandem ſonos.
Quis tu, nocturnos veniẽs mihi rũpere ſomnos,
Cum grata feſſum recreat corpus quies?
(Mira fides!) clara preſens in luce refulſit,
Et blandus in me conijcit lumen puer.
Qualem Dędaleus nec pingere poſſet Apelles,
Nec ſculperet calente Phidias manu.
Et me ſic trepidum paucis affatur: Ab alto
Adſum tibi Patronus & Cuſtos datus.
Quid metuis? Reſpiraui. grateſq; rependens,
Quam maximas cor æſtuans per os dabat,
Men' (rogo) me tanto dignatur munere Cœlũ,
O cultor, o miniſter, o miles Dei;
Vt caecis ad cuncta oculis mortalia, Numen
Cœleſte vigilans tuear, & voces legam?
O nimium exoptanda mihi, ſi lumine tanto
Semel beanda cæcitas olim fuit!

Ille autem : Meliora, inquit, te dona morãtur,
Nunc ſi iubenti geſſeris morem mihi.
Antiſtes reſerans æterna penaria Paulus,
Terras per omnes Cælitum nectar pluit.
Quo tu ſi cupias animum perfundere rore,
Dulceſq; felix condere in pectus dapes;
Accipe quæ peragẽda prius. Duo poſce Tonãtẽ;
Eccleſiam defendat vt primum ſuam,
Barbaricis infeſtam armis, atroq; veneno,
Quod impiæ libidinum peſtes vomunt:
Mox pariter magnũ foueat ſanctũq; Monarchã
Et cum Monarcha purpuratos Satrapas.
Quo velut excelſo pendens a cardine moles
Immenſa Mundi, verticem tangit Poli.
Sed Proceres circa ſacros, legumq; potentem
Eccleſiarcam, munus orabis duplex.
Vt Deus adſideat, vires & robora Cælo
Subingerens, & pondus immenſum leuans:
Hoc primum. Sed voce roga maiore ſecundum.
(O prona ſemper decipi mortalium
Pectora, quę blandi furtim mulſere propinqui.
Cæcoſq; amoris vinculo, vt freno trahunt !)
Ergo ad curarum tot pondera, poſce miniſtros
Ab Rege Regum Principi certos nouo,
Non quos affectus, non quos cognatio, non quos
Ad gratiam loquentium extulerit fauor:
Sed quorum ſpectata fides, & longior vſus,
Et innocens a ſcelere ſtet vindex manus.
Hęc memorat. dẽſaſq; iterũ ſe cõdit in vmbras;
Et me tenebris reddidit fugiens meis.
Quod fugeret, dolui: quod lumen ademerit autẽ
Se pariter adimens; egi agoq; gratias.
Nam mea, viſo illo, violari lumina credam,

Si

Si poſt prophanis occupentur vſibus.
Dormierim, nō dormierim, cū ſermo per aures
Venit, & id oculis incidit ſpectrum meis;
In dubio mēs heret adhuc; nec dicere prōptū eſt,
Vtram vigil facilius in partem ferar.
Hoc ſtatuo: Seu vera videns oracula ſumpſi;
Veris refertum gaudijs animum gero:
Seu me per ſomnum nocturna feſellit imago;
Sic dormiam, ſic fallar æternum precor.

Pictoris lepidum factum: Summi Pontificis acutum reſponſum.

Idyllium tertium.

NVNC age Muſa modis mecum modulare remiſſis,
Et expedi dulces iocos.
Quos Plato, quos Xenophō nō indignetur; & ipſe
Cantare ſuſtineat Cato.
Egregius pingendi opifex Bonarota, per vllum
Se conſpici mortalium
Nolle ferox: dum murū animat, viuumq; colorē
Spirare defunctos docet.
Non ſi Celtarum rigidas qui flectit habenas,
Truceſq; ſpiritus domat;
Non ſi Mundorum ſceptris armata duorum
Inuicta Regis dextera;
Deniq; non idem, nigros qui claudit Auernos,
Et reſerat Empyreas fores;
Siue rogent per amicitiam, ſiue ore minentur,
Certamq; rapiant ad necem;
Aut moueant, aut impetrent, ad ſingula vecors
Tormenta pertinax ruat,

Et prius intenta ſubeat ceruice ſecurim ,
Cruore ſparſurus forum ,
Quam velit, arcana quod conficit arte, videri ,
Et poſſit arbitrum pati .
Forte igitur ſtygioſq; lacus, ſedeſq; nocentum
Tremente dum ſcribit manu ;
Poſt aulæa latens , oculo furtiuus hiante
Spectabat Antiſtes fabrum ,
Obſeruans tacitus. Nec te Bonarota *feſellit :*
Per *ſeruulum res indicem*
Facta palã. Tamen *ipſe dolum neſcire videri*
Tantiſper eſt paſſus libens ,
Dum ſtylus infauſtam ludo mulctaret acerbo
Antiſtitis cupidinem .
Haud mora: fur oculis dum ſingula captat , ab
Ecce videt Orco imaginem (imo
Surgere, tartareis horrentem colla catenis ,
Et pectus igne feruidum ,
Et circum rabidis exeſam membra colubris,
Megera quos vibrans rotat.
Vna tamen reſtabat adhuc polienda magiſtro
Aduerſa facies. cui manum
Adijcit extremam properans. Antiſtes eandem
Videre geſtit integram .
Ergo oculos hic, ille oculos mentemq; manumq;
Ad elegans reuocant opus .
Iã rubet hinc atq; hinc pẽdẽs ex aure capillus,
Iam barba triſtis purpurat :
Iam frons, iã cilia, & lumẽ ſpectatur vtrũque,
Vndis fluens perennibus :
Iam geminis altam ſpirat de naribus iram ,
Et dentibus frendens tumet .
Iam pulchre plena eſt, ſeſeq; fatetur imago ,

Digitized by Google

Et loquitur auctorem ſui.
Te loquitur Præſes, nec te tua lumina fallunt:
Te cernis, & ſtupidus riges.
Iam minus in viuo poſſis agnoſcere viui,
Quam mortuus referat color.
De muro ſpirare illum; de marmore credas
Hunc ſtare, ſpirantem minus.
Inſultat Naturæ ars: effigiemq; videtur
Tranſiſſe Præſul in ſuam.
Poſt ſimul ad pectus rediit, ſeq; ipſe reſumpſit;
In regiam ferox venit.
Atque O ſumme Pater, quāta eſt audacia, dixit,
Opificis aduerſus Patres!
Inter damnatos tenebris, ac morte perenni,
Me ſquameis ſerpentibus
Implicitum repraeſentat: me Gorgone ſaeua,
Me mille monſtris carpier,
Heu notat illudens, obſcenoq; omine fœdat.
Hæc mortuos, hæc impios
Pœna manet, cur me maneat viuūq; piumque?
Nos iſte ſi colit parum,
Et noſtram ſpernit generoſo a ſanguine gētem;
At inſulis parcat ſacris:
Aduerſuſq; tuos, Princeps Romane, clientes
Abſtineat infandis probris.
Tu modo me miſerans infamibus eripe flāmis,
Et artifex pœnam luat.
Sic memorat. dūq; ille Patris reſponſa moratur,
En inſolens adeſt faber.
Quem clari Proceres adeunt, orantq; frequētes,
Remittat vt noxam libens,
Et ſibi Collegam donet, male picta repingens,
Oriſq; confundens notas.

Digitized by Google

Ergo illa quę ſecum rapit,
Trahitque res mortalium, volucris dies.
Edax dies, quæ tabido
Arroſa dente cuncta conſumens vorat;
Non tangit, immortalibus
Affixa templis decora; ſed parcit ſacris.
Et abſtinet Cælo manum.
Poſt-illa morbo pariter, ac ſenio grauis
Fatiſcit Orbis in dies;
Et ipſa canis albicans Vxor comis,
Vultuque rugis aſpero,
Natura languet: ille fons vitæ calor,
Et ille cæleſtis vigor,
Fomeſque, ſemen vnde gignendo datur,
Et vnde, quod viuit, viget;
Magis magiſque defluens hebet, perit:
Vt parere magnas indoles
Effœta Mater ventre vix pigro queat.
Quod ignei, quod viuidi
Fuit, priores occuparunt: poſteri
Fæx, atq; abortus fundimur.
Adiunge, nos quod aggrauat, priſcos leuat,
Nos extera, illi patria
Lingua perenne nomen adſciſcunt ſibi,
Quam proprio pueri Lare,
A matribus cum lacte ſugebant ſuis.
Forum deinde, & Curiam,
Et iudicum ſubſellia, palæſtræ loco
Habere; nec vultus truces
Docentium, non flagra, non minas pati.
Tu vero grandis Bergomas,
Quem noſtra, principem omnis elegantiæ,
Mundi nouum miraculum,
Aetas

Et de repulſis hoſtibus
Donat triumphum ſempiternum, nobilem.
Appello te, Princeps Pater,
Dudum recepte numerum in illum Gregori,
Te Gregori Mundi arbiter,
Rectorque: cuius ipſe res geſtas tuba
Maiore Tuſcus prædicat.
Vt, quod datum pauciſſimis quondam liquet
(Nunc paucioribus datur)
Vt alterûtra laude conſpicui, vel hac
Lingua, vel illa ſplendeant;
Vni duplex hęc gloria, & duplex decus,
Maffæ, contingat tibi.

DE IO: PETRO MAFFÆO
Et Torquato Taſſio Bergomatibus.

Liuius illuſtrem Patauí ſi reddidit vrbem,
Et te clara tuus, Mantua, Virgilius;
Anteit vna duas; talem dedit inclyta Vatem
Bergomus, & talem Bergomus Hiſtoricum.

Ad Reuerendiſsimum
D. NEAPOLIONEM COMITOLVM
PERVSIAE ANTISTITEM.

Benedictus Monaldus Peruſinus.

Non dedecere Sanctos, & doctos Pręſides piam Poëſim.

Idyllium Quinctum.

Sperantem ſolemne tibi conſcribere carmen,
Laudeſque Præſul *canere conantē tuas,*

Hac me Bernardus querula cũ voce repreſſit :
Et has ab alto crudus intonuit minas .
Ne fac,ne lauda; calamũ chartamque repone.
Ni pareas,te mulcta non leuis manet .
Obrigui , ſtupui,vox faucibus hæſit,& ipſe
Stylus tremente concidit lapſus manu.
Poſt vbi vitales rediere ad munia ſenſus ,
Pauorque fugiens aperuit dictis iter :
O (dixi) venerande Senex, & noſter ab alto
Patrone,Cuſtos,Præſes;in ſanctas prius
Hoc admitte aures, humili quod mente preca-
(Mãdata poſt non ſegnius fient tua) (mur.
Cur Dominũ laudare vetas ꝑ carmina noſtrũ,
Cum maior adſit indies laudum ſeges ?
Cum magna edenti ſemper,maiora paranti,
Benignior Cæleſtium adſpiret fauor ?
An quia commiſſo formidans Paſtor ouili ;
Super pecudibus excubat noctes dies ?
An quia per pronum populos in fœda ruentes
Flagitia reuocans,pandit ad cælum viam ?
An quia perpetuis Numen cæleſte fatigat
Lacrumiſque votiſque,irã vt auertat grauẽ?
Et quia non verbis tantum pietatis amorẽ ,
Exempla ſed per ipſa fortius mouet ;
Nos homini nullas tanto pro munere grates,
Nullas referre carminum vices decet ?
Hæc ego.Tum Præſes feſtiuius ore renidens:
Non iſta (dixit) culpo quæ veſter facit ,
Facturumque omnes hominẽ confido per annos:
Non culpo . ſunt encomijs perennibus
Donanda,& tandem cælo dignanda ſereno :
Quod munerator præmium ſeruat Deus.
Sed cur iſta veto laudarier amplius ? iſta
Quæ

Quæ ſum quotannis laude dignatus noua?
Cur paſſus noſtros inter-fulgere triumphos,
Mecumque par auferre cultorum decus;
Nunc non admitto in laudes, ſociumque recuſo?
Teſtata facti cauſa: reſponſum breue.
Laudes ille meas feſtiuo carmine quondam
Cantabat, & tollebat ad cælum melos.
Sat ſcio, ſat memini, carmẽ mihi Præſulis vnū,
Quam veſtra centum, gratius ſemper fuit.
Cur nunc mutauit? totum cur amplius annū,
Non dico tantum noſtra, ſed Cæleſtium
Facta ſilet cunctorum? non vult Præſulis eſſe
Poëticis in canticis dieculam
Ponere. Cur ergo eſt Superis inuenta Poëſis,
Si non per illam tollere Superos licet?
Cur cythara Ieſſæe tua mulcetur Idume?
Quæ ſic auernum terret, & Cælum iuuat,
Vt noctem Dominus iubeat cantare diemque?
Cur ille morti proximus quondam ſenex,
Vt cæleſtis olor, liquidas ad ſidera voces
Præmittit, & beatus ingreditur Polos?
Cur genitor Baptiſta tuus, te in luminis auras
Naſcente, quos in aërem primos dedit
Sermones, certa numerorum lege reuinxit?
Cur Cælitum delectus ex alto chorus
Aligerum, cecinere alacres in paupere tecto
Diuina ſummi Regis incunabula?
Cur prius Aligerū Regina, Parenſque Tonātis
Eliſaben affata narratur ſuam
Carmine magnifico? Sāctū cur Pneuma p̄ iſtos
Cantauit, & cantare nos iubet Deum?
NOS inquam, me coniũgens, mecumque ſodales,
Et accolas, & ardui ciues Poli:

Qui

Qui gratum ſemper canimus pæana Tonanti,
Et hîc perenne gaudium pæan creat.
Quin etiam me ſcito ipſum, dum vita manebat,
Ferire latia carmen aſſuetum cheli:
Et nunc, cæleſtes mihi quod peperere Camenæ,
Inter beatos prĕmio choros frui.
Non igitur carmen culpes, ſi carmen honeſtũ eſt,
Si Cælites, ſi Cælitum Regem canit.
Illa truci mergenda freto, vel edacibus eſcam
Trudenda flammis carmina iubeam libens,
Queis Venus & Bacchus canitur. iure ignis in ignẽ
Graſſetur, atq; abſorbeat merũ mare.
Tu Dominũ patremq; tuũ, me auctore, rogabis,
Maturus vt reuertat ad ſacram lyram:
Et quodcunque dabunt grauiora negotia tẽpus,
Inter nouenas conterat volens Deas.
Non leget ipſe ſuas in veſtro carmine laudes,
Si non ego prius in ſuo legam meas.

In Stemma duorum Præſulum, Comitoli Epiſcopi Lilia, Et Saregi Gubernatoris Gladios.

ANDREAS COLVMBINIVS VENETVS.

CVM veſtra inter ſe nimiũ gentilia pugnẽt
Stẽmata, & hoc pacẽ clamet, id arma tonet:
Mirãdũ, veſtras inter cõcordia mentes
Quanta ſit, & ſanctæ fœdus amicitiæ.
Sed puto ſtẽma etiã cõmune duobus vtrunq; eſt;
Lilia cum gladijs alter, & alter habent.
Sic eſtis pariter comes, pariterq; ſeueri,
Quo caret alteruter, ſumit ab alterutro.

Ad Illuſtriſſimum

D. MARCVM VELSERVM

Duumuirum Auguſtanum.

M. ANT. SALVVCIVS PERVSINVS.

Comparatio parui clientis ad magnum patronum.

Idyllium ſextum.

QVI patriā ſcripto celebras, qui lege guber(nas,
Atq; pari calamū ſtringis, et arma manu,
Inclyte Dux: tenues non indignare Camœnas,
Quas nouus Etruſca mittit ab vrbe cliens.
Millibus in multis non eſt, qui certius illo,
Vel tua facta probet, vel tua ſcripta legat.
Hunc licet anteuoles, tecum contendit eodem
In ſtadio: eſt eadem patria, nomen idem.
Marcus ab Auguſta, dulces ante omnia Muſas
Qui colit, & patria ſudat in hiſtoria.
Quis Velſere tibi ſimilis magis? eſt tamen vnū
Atq; vnum, quæ vos diſſimiles faciant.
Membrorum tu mole vales, infirmior ille eſt
Tu locuples, patrium vix habet ille focum.
Attamē hic etiam (quis credere poſſet?) Etruſcū
Marce tibi Marcum *ſuſpicor ire parem.*
N*amq; nec indulgens animos fortuna feroces*
Dat tibi, nec ſortem non amat ille ſuam.
Diſpare ſub rerum facie, par ſenſus vtriq;:
Laus ei paupuries, laus tibi diuitiæ.
Hoc vincis Velſere tamen; QVOD læta ſerenū
Fors animum grauius concutit, ægra minus.
Rarus magnanimo ſtrauit pede proſpera felix:
Non rarus potuit fortiter ire miſer.

Quid

Digitized by Google

Quid loquar ingeniũ, quod fonte rigaſtis eodẽ
Inclyta cum Gallas Roma bibebat aquas?
Hos Murete tuum pleno cum grande theatro
Flumen Neſtorij funderet eloquij.
Quem pubes Romana Ducẽ cantabat, & alta
Viſa iterum Marco ſurgere roſtra ſuo.
Tũc vtrumq; vnus docuit magna illa magiſter,
Vnde ſimul patriam tollit vterq; ſuam.
Nec te præteream, Varrone ſcientior ipſo,
Ingens Muſarum gloria Lipſiade.
Quem licet æternum veniens mirabitur ætas,
Cui licet inuenient ſecula nulla parem:
Cui licet egregijs ex artibus omne per æuum
Par tribuatur honor, par tribuatur amor;
Attamen affectum iam non æquauerit vllus,
Vel Germane tuum Marce, vel Vmbre tuũ.
Par in vtrũq; anim⁹, par pectore cãdor ĩ illo eſt:
Nec duo plus illum, quam colit ille duos.
Mutuus e[...] miſſis, alterno pignore, chartis
Teſtificatus amor, teſtificatus honor.
Expoſui Marcis communia multa, ſed vnum,
Quod venit extremum, debuit ire prius.
Candidus & ſimplex animus, ſectator Honeſti,
Et ſanctę in primis Relligionis amans.
Pro qua nec dubitent incõmoda quæq; paciſci,
Et lucrum reputent grande, Licere mori.
Interea vacui quantum conceditur oti,
Quantum aliena illos facta quieſſe ſinunt;
Id grauibus rerum ſtudijs ita donat vterque,
Vt nulla incaſſum vel breuis hora fluat.
Fortunati ambo! donant queis ampla Camœnę
Gaudia, donabit ſed meliora Deus.
Quem precor, integris auctos vt viribus ambos

In longam Patriæ des ſupereſſe diem:
Meque per amborum veſtigia donet euntem,
Illius exemplo nitier, huius ope.

Turpem maritum pudica vxor repungit.

Idyllium ſeptimum.

PVlchram ſuperbus Phillidem Polycrates
Mulcendo coniugem capit:
Menſeſq; denos illigati vinculo
Amoris ad caſtum iugum,
Concordibus duxere vitam ſenſibus,
Seſe colentes inuicem.
Exin' maritus exteris inhians toris,
Bellam peroſus Phillidem
Ingratus, & periurus, & mœcus palam,
Hoc inſuper ludit ioco:
Habentur, inquit, mulier & petaſo pares:
Nam ſicut illo veſcimur,
Cum carnium recentium eſt penuria,
Non veſcimur, cum eſt copia:
Sic cum voluptas blandientis hoſpitæ
Negatur, vxor tunc placet.
Incanduit ab his vocibus mulier ferox,
Et ſic remordet coniugem:
Ergo petaſoni ſimilis eſt vxor tibi?
Frueriſq; cum pellex abeſt?
Teneo, tibi quid alia faciat forſitan,
Si negligas, vt Phillida.
(Me nulla res impellat, vt frangam fidem?
Tu diſce quod metuas tamen)
HIC petaſo, mi vir, & hoſpiti in cenam datur,
Cum ſerus excipitur domum.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

EPITAPHIVM I. LIPSI

AD M. ANTONIVM BONCIARIVM.

Io: Baptiſta Laurus.

MARCE, quod albẽtes hederas, Lauróſq; pero Triſtè fleã; nebulaq; animũ pfuſus inerti, (ſus, Mœſtũ Epos aggrediar, pallẽſq; hęc tẽpora circũ Taxus eat, ſæueq; ſonent lugubrè Cupreſſi: Accipe. FVNEREAS TE intrãtẽ occaſib⁹ oras, Inſtar anhelantis Solis; *cum feſſus Iberas Siſtitur ad portas, tenebriſq; humentibus Orbẽ Damnat, & erepto patitur ſquallere ſereno: Te te, inquã, horrẽtis cæca in penetralia Lethi, Vi Fati indicta, ſed feſtinante, coactum, LIPSI IVSTE, oculis refero manãtibus; vt mî Ryphæi vel* Montis *apex, cum ſole liqueſcens, Nix abit in fluuios; vel cum Tithonia coniux Spargit rore ſolũ, &* Nati *reminiſcitur Vmbrã, Ceſſerit. O longum radijs viduata diei Belgica, deliquiumque tui paſſura perenne! Cui tamen hanc* Cæli *faciem non vnicus orbis Inuideat; malitq; vices perferre dolorum Rhenus, Thybris, Arar, Schaldis, ſed & Adria & Arnus;*

Queis olim cura vna, vnum certamẽ; honeſtas Attrahere ad partes, doctos bibere auribus imbres

LIPSIADE; genio, ingenio formarier; artes Duci per tetricas diuinæ Pallados. *Ecquo Obfirmet clypeo trepidam Conſtantia mentem; Quid Ius, quid rectũ, populos quę vincula frenẽt; Quod Latij Mauortis opus; quæ* Machina *muros Eruat, & miſeras vacuet cultoribus Vrbes;*

Ordine

Digitized by Google

Ordine quo ſe Maieſtas Romana bearit;
Amphitheatrales dederint quæ premia pugnę;
Quæ vexilla Crucis. quo nodo lactea conſtet
Relligio, legemq; Fides iungatur in vnam.
Qui ſanctæ Genetricis honos, conceſſaq; ab alto
Non occaſuris miracula credita chartis.
Adde etiam adlectos flores; iucunda relatu
Somnia; diſpunctas ſæclorum ab labe tabellas.
Aëriosq; Deos, Genialia numina, quodq;
Dulce Cleanthæa poſt-ſparſit fruge volumen.
Omnibus vnus amor vaſti regionibus Orbis
Talem adſciſſe virum, pendère loquētis ab ore:
Quem nunc, o felix Belgarum tractus, ademptū
Si gemis, & merito lacrymarū pondere libras;
Eſt ratio, qua vulnus hians, & aperta cicatrix
Introrſum cedens coëat, veteremq; reducat
Admiſſa compage cutem; partaſq; tenebras
Solis ab occidui nebulis, vtcumq; quieto
Mollè feras animo (quod nobis nēpe negatum)
Dum Mariæ in templis, teſtudine ſuſpicis alta
Pellitos pendere habitus, animæq; labentis
Exuuias: dum marmoreis incluſa ſepulchris
Buſta tenes, cōcorſq; animæ quod adhæſerat āte
Hoſpitium ſeruas: vt nō ſaxa inclyta Nili,
Pyramidaſq; optes; non ſit tibi carior Hermi,
Limus, & Eoo quæ pingitur vnda metallo.
O Ego Dædaleas cur non libratus in alas,
Colle Perûſino, Latioq; ab limite in Orbem
Deferor Auguſtum, per Vindelicoſq; receſſus.
VELSERI rutilis florentes faſcibus! iſthoc
Inde duce, e campis Belgarum ſiſtar ad ædes,
VOVERI venerande, tuas! cui docta ſupellex
Obtigit ingenij, vſq; adeo dum paruulus ędes.
Creſcat,

Creſcat, & in dotes felix adoleſcat auitas;
Teq; altore, recens donetur LIPSIVS Orbi.
Mox tumuli optatam propere deducar ad arã.
Hic ego Palladias frondes, Lauriq; coronas
Obtuleri, & plena marmor veneratus acerra.
Talibus incipiam. TV, quem mãſura per æuũ,
Fama ingens operum, felicibus intulit aſtris,
Liuoriſq; mali pennas præcidit inanes;
Seu Genijs miſtum ſuperis florentior aura
Tollit, & empyreis Conſtantia firmat in oris:
Seu fati ad ſumma euectũ, iuuat orbibus orbes
Inſpicere adnexos, pendenteſq; ordine cauſas;
Abſtruſæq; vices rerum quam numine operto
Viuant, & certa Mundum formidine librent.
Annue Cæleſte ingenium, fandiq; miniſtra
Iura mihi, pectuſq; capax; quod ſemina rerum
Contineat, commiſſa ſemel; quod flumine largo
Explicet, æternis quidquid committere chartis
Geſtiat. At Genio quoniam non vlla facultas
Defluxiſſe tuo: noli prohibere cadentes
Influxus; queis Belgarum ſi corda tuorum
In morem pluuiæ irroras; rorentur eiſdem
Laurinæ frondes: ſic vati ſpiritus ingens
Affluet, & dignis tolleris in æthera plectris.

FINIS

TYPO-

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

HABEO gratiam paucitati & paruitati recentium Idylliorũ, vt quod identidem me flagitas Lector, ſecundum volumen Epiſtolarum, ſæpius promiſſum; eius aliquod hic ſpecimen repræſentem, fidemq; arctius adſtringam meam. Leges igitur paucas epiſtolas, & eas tantum, quę ad Idyllia pioſq; verſiculos, aut Orationes nuper editas pertinent. & hos interim non contemnes (vt ſic dixerim) anteambulones litterarios, donec Epiſtolarum ſecunda Claſſis ſe comparat inſtruitq; curioſius. non iniuria: cum in magnum ſit ventura certamen iudiciorum. Vale.

A M. ANT.

Digitized by Google

M. ANTONIVS BONCIARIVS.

Erycio Puteano S. D. *Mediolanum*. I.

QVO die Philippus Maſſinius iſtuc verſus reditum parabat ad Ticinenſem ſuam palæſtram, comſumptis nobiſcum ferijs, & æſtiuis, & autumnalibus: eo die commodum reuectus hic fuit ad parentem ab oſtetricibus, quem illi dedimus ferendum tibi, tenerum adhuc & vitę dubium infantem. Speramus fore non iniucundum, vel iſto ipſo, quod recens eſt, necdum viſus aut cognitus palam. Hoc modo fruges & poma quæpiam, alioqui ſubinſipida, & emptorem non facile inuentura; ſapere tamen nobis videntur, & illis iucunde veſcimur. conciliat enim nouitas gratiam, & dapis pretium ipſa fruendi celeritas rependit. Pruna ſunt pinguia & rotunda, quibus Tuſci ab ſancto Petro nomen indiderunt. ea noſtrates ruſtici appellant Pruna ſagacia & ſapientia. mihi huius cauſam cognominis requirenti, vel potius indignanti, quod ſapien-

tię

tię appellatio vulgaretur ad fruges natura fatuas & inſulſas;reſpondit colonus:An nō ſapere hi tibi fructus videntur,qui cum intelligant ſe in nullo numero futuros,ſi cum ceteris proueniant cateruatim; aſtu iter accelerant, & pręgreſſi longo ſpatio agmen reliquorum, inſinuant ſe gulonibus ieiunis, petuntq; a cupiditate veſcentium eam gratiam, quam a ſuis meritis impetrare non poſſent? Viſus eſt vera dicere. itaq; ſententiam probaui, munus accepi, æſtimatione paruum, anticipatione iucundum. Sic cupio, mi Puteane, non ingratam obuenire tibi meam Seraphida, vel ob iſtam ipſam, de qua diximus, cauſam; vel certe quoniam vir amiciſſimus mittit,vir grauiſſimus reddit,& ipſa pium,imo ſacrum exequitur argumētum.Legimus Monita & Exēpla Politica, quæ pridē Lipſius dedit. Ea vero (ſi quid ego ſapio) ſimul præſcribunt regibus & dynaſtis, quo modo imperium adminiſtrent; ſimul monent noſtrates harum rerum ſcriptores, ne quam deinceps in illo genere faciant litteram. adeo ſunt illa Monita ſupra vulgus, & Exempla ſine exemplis. Tu quid in proximum moliare, libenter audierim: & libentius legerim, quæ iam es emolitus. Vale. Peruſiæ IV. Non. Octobris. M. D. C. V.

Neapolioni Comitolo Epiſcopo Romam. 2.

LEGI Orationem Alexandri Burgij Epiſcopi Burgenſis,Romæ habitam ad ipſos

Digitized by Google

Eccleſiæ Proceres pro nouo Pontifice eligẽdo, ſane admodum luculentã,& plurimis non ſolũ elegantię,verũ etiam prudẽtię notis inſignem. Eã mihi nudiuſtertius a te attulit Angelus Periglius.a quo etiã de valetudine tua, de memoria noſtri,& de propinquo reditu ea cognouimus,quæ magnopere volebamus.Seraphidẽ noſtrã heri tãdẽ typographi abſoluerũt. Lætatus ſũ,quod heri potiſsimũ,inito iã B.P.Seraphici feſto die,bonũ omen typographis nõ ſolũ veniã a me impetrat, ſed gratiã & prãdium.Iuſſi illos hoc biduo ſiccare folia, & referre in ſuas claſſes ad volumina circiter duodecim,quæ dare ad te cogito mulionibus,perendie profecturis; ideſt pridie idus Octobris.Romæ autem ſe pollicentur quattriduo poſt futuros, & quod inuolucrum a nobis acceperint, Iuliano bibliopolę ſtatim reddituros cum fide. hunc ego admonebo,vt latores vltro adeat, faſciculum redimat,perferatq;ſic inuolutum ad lares tuos. Ego ſuum Illuſtriſs. Cardinali Baronio tradi a te velim,vt dicitur, de manu in manum. Scio quam munuſculo meo gratiam conciliabit auctoritas porrigentis: nec te celabo φιλαυτίαν meam. Et ſi reditum ad nos tuũ nemo expetit flagrantius, nemo expectat auidius; tamen nõ nimium odi curarum laqueos,& turbarũ incurſus tuarum;a quibus tã diu abſens retentus es, donec præſens fungerere,quod cupiebam. Reliqua exemplaria Leo noſter diſtribuet, quibus ipſe mandaueris,ac ſi qui forſitan meo nomine petitum venerint ex amicis.niſi tamen cenſueris,ad eũ omnia deferri oportere,cui dicatur.

Digitized by Google

Eſt hic quidem mos dicantium vulgatus,& retentus cõmuniter,ideſt iam liber a culpa. ceterum ego nõ nihil metuebam,ne nimiopere viderer ęſtimare muneris paucitatem,ſi tot ſimul libellos,imo eumdem toties obtruderem non requirenti. Tuum erit,Pater ſapientiſſime, primum iudicare,quod deceat;deinde imperare, quod fiat. Vale Peruſiæ III. Non. Octobris. CIↃ IↃ CV.

Leoni Oliuæ.

Romam.3.

HAbebitis verſuum nuper editorum pluſcula exemplaria, quam ſcripſi litteris ſuperioribus ad Epiſcopum. In his erunt glutinata atq; compacta quattuor. plura in hanc formam redigere,anguſtia temporis non permiſit. Horum alterum Reuerendiſs. Antiſtitis, & communis Domini eſſe velim; alterum tradi per illum Illuſtriſs. Cardinali Baronio, quem quidem paruulo infanti magnum Patronum, & quaſi Compatrem adoptauimus. Eidem rudium & ſolutorum datote,quantum numerum vobis videbitur, ſi quid videbitur. Reliqua tu cupio diſtribuas Leo,quibus Epiſcopo lubebit, & quibus tibi. Ego tria quattuor Senſo Senſio, vnum P.Stephonio dari,ſi Romæ fuerit,ſin abfuerit, mitti a te velim cum epiſtola.

Non celabo te amicum tam familiarem,quę nunc ad animum ſuſpicio irrepſit,dũ iſta ſcribo. Cœpi mecum ſic cogitare. Vah ingenium

humanum famę appetens, & ſua æſtimans ſupra meritum! Ego de his ita loquor, & tam ſollicitus decerno, quaſi graue aliquod & magnum negotium moliar. At hoc alij leue, inane, nugatorium eſſe cenſebunt, & me oleum ſimul atque operam, vt dicitur. Alius phraſim culpabit, alius numerum, nonnulli argumentum: multis hoc totum diſplicebit, Poëtari, pręſertim latine, varie, inſolenter. Vidi adeo, non multi ſunt dies, cum homo inclytus & inſigniter doctus Orationem Venetijs edidit, nolo dicere qualem, nec eſt meum: ſed viri eruditi ſatis dicunt, qui vix primoribus guſtatam labris reſpuerunt, & Oratorem in magno pretio prius habitum, ex recenti fœtu contemnere, ac ludibrio habere cœperunt. Et profecto ſic eſt mi Leo. fallimur pleriq; ſcribentium, & qua via famā captamus, ea pręcipites ſæpe ruimus ad infamiam. quodq; in hoc genere miſerabilius mihi videtur (alius ſolatij loco duceret) ipſi mala noſtra ignoramus, nec præiudicatam de nobiſmet opinionem, vllius admonitu, deponere poſſumus. inuidere nobis putamus, qui noſtra in cœlum non tollant. Si quis autem aſtu palpatur, & ad gratiam loquitur; eum nobis fidelem amicum, eum recte ac vere de noſtris iudicare opinamur. non abſimiles ęgrotis, occulta eademq; peſtifera febri laborantibus; qui quidem ſtrenui eſſe, ac pulcrhe valere ſibi videntur, cum propinqua mors adſit, & immineat ſupra caput.

Verum hæc longoria ſunt, quam præſens negotium

nogotium requirat; & me puer vrget, laturus in forum litteras ad tabellariam tabernam. Multa eſſe ſuſpicor vitia fœtuum meorum, quę me fallant parentem, aut etiam mihi ſpecie virtutis imponant. Certe in pleriſque falſus non ſum. agnoui egomet, agnoſcoq; deformitates meorum: & tamen certis rationibus sũ impulſus ad ſcribendum, ad exibendum. Inter epigrãmata vnũ eſt aut alterũ, quę non excuſo. nimis palã, nimis ampliter laudant me, meos. Sed ego ineptus sũ, qui nominatim aliquid nõ probẽ, quaſi reliqua probanda eſſe cenſeã, quę nõ nomino. Vale Peruſię poſtrid. Nõ Octobris.

D. Zenobio Bonamico Priori.

CVM hac ſchedula reddentur tibi poëmatum exemplaria duo. quorum alterum tibi retinebis Priori, alterum Romam mittes ad Abbatem Angelum Grillum. Suſcipes autem hoc quicquid eſt incommodi non grauate: vel quia pretium laboris iam accepiſti, vel quia te decet talibus officijs tueri eam amicitiam, quam mihi tuis artibus conciliaſti. Sic ingenua mater cupide alit puerum, quem ipſa peperit: & bonus agricola libentius colit arborem, quam ſuis manibus vel inſeuit, vel plantauit. Mi Bonamice, mi bonaffinis, mi prope frater, Vale & ſalue. A Collegio S.B. poſtrid. Id. Octobris.

Digitized by Google

D.Angelo Grillo Abbati.
Romam. 5.

QVantula res quantum habuit momentum! Meminerã, Pater, quod tu iamdudũ mihi ſuaſeras, & perſuaſeras, de hoc breui poëmate inſcribendo. dicebas enim nec Fraciſciada, nec Seraphida, ſatis idoneum operis titulũ debere videri, cum pateret vterq; latius, quam argumentum, quo de agebatur. porro nos vnam tantum actionem, & vnum illuſtre facinus Beati Franciſci ſuſcepimus exponendum, de impetratis a Domino indulgentijs, & dotata cœleſtibus donis ſacra Aede Virginis Angelorum. Seraphis autem & Franciſcias, cum incœpto præcipuo & ſingulari, totam fere laudati Herois vitam, & res geſtas promittere videntur, vt Aeneis, vt Achilleis, vt Syrias, ſiue Gotfredus. Scio tamen ex placitis quorundam poſſe defendi, & meum aliqui defendebant: ſed me ratio melior, & auctoritas tua mouebat, vt tituli amplitudo non excederet materiam, ſcriptori propoſitam ad informandum. Itaque inſcriptionem nimis laxam, & nimis amplam ſic arctabam, atque in anguſtum redigebam: Neopſychia, ſiue Seraphydos libri tres. Typographo autem reclamanti, quod negaret intra ereas columellas tantum recipi litterarum; ſuaſi primum, vt dempta patria, nomen curtarent meum; deinde cum hoc dicerent non licere; permiſi tandem ſic inſcribere, vt inſcri-

ſcripſerunt. Et ſatis mihi fuit, quod nunc profecto non eſt, in catalogo ſiue indiculo libri, paucis verbis declaraſſe antepoſitam inſcriptionem, & ſenſum meum. Sed iam dudum ſuppudet me, Vir clariſsime, abuti oculis & patientia tua ad has nugas. Vereor etiam, ne peccati huius excuſatio tam inepta, & tam longa, ſit tibi peccato ipſo moleſtior. Vtinam a tuis maximis grauiſsimiſq; negotijs, tantum tibi otij ſupereſſet, vt ſaltem vnum aliquod perlegere poſſes opuſculum, & reliqua ſic excurrere ſaltuatim. nō eſſet mihi dubium, quin peccata longe grauiora, quam hoc, offenderes, & (quæ tua etiam humanitas eſt) me corrigeres, me doceres. Profecto enim ſi verum dicere volumus, a quo hæc alio expectare par eſt, Taſſo mortuo? Vale Poſtrid. Id. Octob.

P. Bernardino Stephonio Societatis Ieſu. *Romam.* 6.

TEnet me incredibilis quædam cupiditas ſcriptorum tuorum. neq; magnum diſcrimen facio, cuicuimodi ea ſint, oratoria, hiſtorica, poëtica. ſemel guſtaui ſingula, & propemodū ęqualem in modum ſapiunt. in quas autem aliquanto propenſior eſt animus, ſiue meus ſiue aliorum, Tragœdię ſunt. credo, quia huius generis non meliora, cum omnia ſint optima, ſed tamen plura libauimus, Criſpo tuo regales epulas præbente, nunc veterum Romanorum, nunc recentium Etruſcorum

more conditas. Tu vero ſecurus poſteritatis, deq; hoc ſeculo parum ſollicitus, nimium diu trahis deſiderium & ſpes noſtras. Volui periculum facere, num qua ego ratione poſſem elicere ad canendum Muſas tuas: & putaui hanc fore opportunam, ſi audires rudem cantum & ineptias mearum. Alexander Romanus, magiſter canendi egregius, is qui poſtea natu grādis in familiam Oliuetanam eſt cooptatus, & piarum numero cantionum obruit profanas & iuueniles; ægerrime ſemper ad canendum inducebatur, ne illis quidem ſatis obſequens, a quibus poterat cogi. Idem vero, ſi quos interim imperite ac inæqualiter ſonantes exaudiret; ſua ſponte proſiliens indignabundus, caſtigabat indoctos, & ſymphoniæ non dux tantum, ſed comes ſuauiſſimus accedebat. Sic ego voueo Stephoni (o votum meum minime paternum aduerſus recentem prolem!) voueo inquam, vt diſſona vox liberorum meorum, vel hic quaſi vagitus infantium, Vraniæ tuæ ſtomachum moueat, cogatq; ſimul comprimere clamores noſtros, ſimul exprimere grauitatem, leporem, & dulcedinem ſuam. Vale Peruſiæ Cal. Nouembris. CIƆ IƆC V.

Roberto Bellarmino S. R. E. Cardinali ampliſsimo.

Romam. 7.

ANTE biennium cum miſi ad te meum librum Epiſtolarum, omiſſum a meis fuit

per

per incuriam, quia ego ſimul mitti volebam, imo & ſcripſeram nos miſiſſe, Votum Deiparæ Virgini dicatum in ſacra Aede Lauretana. Illud ego nunc tandem repræſento, cum valde grandibus, vtinam pariter bonis, duorum annorum vſuris. Sedenim (quæ inopia mea eſt, & quæ tua copia) ſuſpicor interdum facile fore, vt iſta tibi ſordeſcant, & me prudentius fuiſſe facturum, ſi promiſſa numquam implerem, & nec lucrum dependerem, nec ſortem. Adeo fortaſſe cum Poëta dicturus es.

——— Horum

Sēper ego optarim pauperrimus eſſe bonorū.

Vtcunq;autem caſura eſſet res; putaui hoc quaſi æs alienum,mittendis verſibus,a me diſſolui oportere. primum enim malebam,meum ingenium abs te accuſari, quam fidem. deinde ſic opinabar, ſi carmen tibi viro longe doctiſsimo diſplicuiſſet,idem ad me cum multo caſtigationis fœnore rediturum. Deus tuas virtutes Eccleſiæ gubernandæ quam miſericorditer præpoſuit, tam feliciter tueatur & prouehat. Peruſiæ. Non.Nouemb.

Angelo Ciaio.
Salernum. 8.

TERNAS vno die litteras a te accepi,quas tu diuerſis temporibus dederas.vnde autem miſiſſes, & qua miſiſſes, non apparebat. erant enim iniuria temporis, & latorum negligentia, ſic interpolatæ atq; detritæ,vt non melius Anagnoſtes meus legerit,quam ego fa-

cere potuiſſem. Quare cum quid me velles charta non diceret, & ego diuinare non poſſem; diu expectaui, dum nouæ litteræ ſuperuenirent, vt de te certiora cognoſcerem. Nec interim deſtiti quærere, vbi ſaltem ageres gentium, Salerni ne, an Capuæ, an Romæ. Sub hos autem dies, cum fama nunciaſſet, Illuſtriſsimum Cardinalem Bellarminum, Auunculum tuum, accitu Summi Pontificis, remigraſſe in Vrbem, ibiq; diu futurum, maximis atque grauiſsimis præpoſitum negotijs; putaui me non fruſtra eſſe miſſurum, ſi ad illum mitterem: inde te, vbi vbi eſſes, facile accepturum. Mitto igitur non reſponſum, quod ego quale facerem, ignorabam; ſed hominem pro me tibi ad omnia reſpõſurum. nouit enim intime cogitationes, conſilia, & ſenſus meos. nec tibi paruum honorem eſſe habitum putabis, cum vltro ad te veniat Sanctiſsimus Pater, & de me doceat Seraphis Angelũ. Plura ego de me, meiſq; ſtudijs volebam, quæ ſcio te cupere in primis. Sed nõ neceſſe eſt: liber ipſe abunde loquitur: & iniuria eſſet cœleſtis Nuncij, ſcriptura prolixior. Vale Peruſiæ. Non. Nouemb.

Alexandro Magio Gubernatori. *Fanum.* 9.

EN exemplum epiſtolæ ad Lipſium, en Seraphida, quam pollicitus tibi ſum, en ſimul pluſcula, quæ pollicitus non ſum, & mitto mea ſponte. Quibus ſi tuam legendi famem

mem non expleo, ſcias tibi repoſitum iri tantã copiam Analectorum, vt ſtomachum nauſeãq; motura ſint ὑπὲρ δέκαδα τῆς Ἀμαζόνιδος Cur vero iſta tam multa præter propoſitum adiecerim, accipe paucis. Dederam egomet conſilium nouis typographis, qui ſe Academicos Auguſtos cognominarunt, vt Aurelium Vrſum, quem chirurgus Bononienſis caſtrauerat, reformarent rurſus in virum. quod ſtrenue factum ab illis fuit. Cum eo Inſenſatorum, ideſt fratrum aliquot carmina coniungere cogitabant, atque in primis mea. Ego non ſolum libenter obſequi, ſed etiam in beneficij loco habere, quod insererer tanto tantulus. Ita conſignaueram illis hanc Neopſychiam, & carmen Lauretanum, prius editum, mox recognitum. Sed in tempore cogitaui, & monitus etiam ſum ab amicis peritioribus, haud quaquam decere, verſibus ſecularibus, & interdum ſubobſcenis, hoc interijcere pium argumentum. Faciebamus igitur volumen alterum penitus meum. & quia typorum minutiſſimis excuſus formis longe intra iuſtam magnitudinem libellus defecerat, bonam illi acceſſionem ſuffecimus, cudentes ſimul Hieropyli librum vnum, Gerardi duos, Epigrammatum totidem. deniq; (vt videbis) ſacro Virginis Roſario liber clauditur. quod me leuiter ſtringẽs monet, vt hic claudã ego quoq; epiſtolam; & te in auguſtiſsimo Virginis nomine iubeam bene agere, bene valere. Peruſiæ poſtrid. non. Nouemb.

I. Lipſio

Iuſto Lipſio V. C. M. Antonius Bonciarius. S. D.

Louanium. 10.

O Vir rare imo ſole. Nunc illud eſt, ſi quādo alias, cũ voueo mihi Laconiſmun tuum: dico efficax narrandi genus breuiter longum, quod antiqui a Criſpo, nos a Lipſio melius docemur. Multa dicere habeo: vellẽ non multis, tuæ vt parcam valetudini. pro qua ſcito, a me meiſque, ſpero etiam ab omnibus vere bonis, vere doctis vota fieri, preces duplicari, & creſcere affectum, vt ex te creſcit publicum bonum. O ſi liceret conferre annos, ſicut pecunias ſolemus ad te vindicandũ emendumq; a Parcis! ne dubita, quin traheremus ad Noas etiam & Matuſàles ætatem tuam. ſed nunc etiam ſperamus diu fruituros, merito tuo primum, deinde precibus piorum.

Illuſtriſſimus Beuilaqua, Cardinalis a latere legatus (mitto purpuram, ſtemmata, opes, & communia multis: non quod iſta in minimis ponam, ſed quod animum prius ponam generoſum, modeſtum, eruditum) is igitur tam vehementer te diligit, & tam ſcienter omnia tua ſcripta, ſed in primis Politica miratur; ad hęc tam ſublimiter extollit doctrinā tuam, & candorem ſuper doctrinam; vt me fatear admiſiſſe magnum flagitium, qui hoc non antea tibi ſignificauerim. Et ſane in animo habui ſcribere, cum ſcripſi de Magio Prolegato, qui cum Stoica tua videbam Vere proximo

proximo ineunte. Sed fecit illius abſentia Romam profecti ad comitia Pontificia, vt vel nõ ſatis meminerim, vel in reditum eius diſtulerim. an metui ſi facerem, ne putares in Italia eſſe, cui primas in te amando concederem? & vel ipſis cum Cardinalibus audeo contendere? Vinci ne ab iſtis quidem me patiar, & æquari non niſi ab iſtis. Vt ergo rediјt Beuilaqua, ſtatim Monita tua ſimul euoluimus, & diſcuſſimus: ille legere, ego audire: mox diſſerere alternis, ego ſæpius aduersũ te, ille ſemper pro te. niſi quod ſub initium queri cęperat, quod Hieronymum Sauonarolam Etruſcũ facis, quem ille Ferrarienſem, & Ciuem ſuũ dicit fuiſſe. Cui ego, Non eſt inquam, quod ęgre feras. non vides quo modo hominem acceperit? beneficium reor eſſe, non iniuriam, quod vobis illum non reddidit: dignum reiici, ſi reddidiſſet. Credo, miraris Lipſi, quantorum opera virorum ego in ſtudiјs meis vtar. & mireris licet. Principes ſum nactus lectores veterum ſcriptorum Platonis, Senecæ, Taciti; non recentium, niſi tuorum. iam illud credo minus mirabere, quod Cardinales tibi commendem, meos ſcilicet Anagnoſtas.

Extra iocum: imperauit mihi Legatus, imo (quæ Principis humanitas eſt) rogauit, quod equidem mea ſpõte facturus fui, vt de ſua erga te beneuolentia intimoq; cordis affectu, quam diligentiſsime, & quam celerrime ad te ſcriberem. alterum ſatis iam feci, alterum non ſatis. Tu perinde habebis ac ſi optime opportuniſsimeq; functus officio fuerim, & me diliges

liges ſupra vulgum, qui te colo ſupra hominẽ. Vale, Peruſiæ IV. Idus Septemb. CIↃ IↃ CV.

Volebam alia quædã de ſcriptis ſiue tuis iã editis, ſiue meis mox edendis. ſed profecto vides, ſi nõ etiã indignaris, quã facile ad ingeniũ redeã, & profeſſus Laconẽ non in Atticã, ſed in Aſiã relabar. Quid me facias? Garrula cæcitas eſt: nos etiã ante illã. Vt tibi facile (niſi fallor, atq; vtinã fallar) mouit ſtomachum liber meus, ſi quando legere ſuſtinuiſti! Misereret tui me, ſi quam tibi audiendi neceſſitatem imponeret. ſed non imponit. Vox eſt, quæ interdum ſtrepit inuitis: Liber (inquit S. Auguſtinus) numquam moleſtus eſt: cum velis, ſumitur, cum velis, ponitur. Vale iterum.

I. Lipſius M. Ant. Bonciario S. D. *Peruſiam.* II.

RISI in epiſtola tua, qua Laconiſmum voues: & quid dicam? imitari te virgines, quæ formoſæ, modeſtia quadam, formam optant, & tacito ſenſu ſciunt, & gaudent ſe habere. In te eſt, mi Bonciari. certe in hac epiſtola ſic illum exprimis, vt exemplum eſſe Laconibus poſsis: & quod palmam poſcit, argutias, & Veneres Atticas vna miſces. Me ducem facis? fateor cædi me a meo milite, & in meis caſtris. Sed ad rem. Legi quæ de Illuſtriſsimo Legato Cardinale ſcribis, valde in me amica: nec pudor meus paſſus, neq; ratio erat, ſilentio hæc me preterire. Scripſi igitur ad ipſum, & curę tuę erit vt videat: quid

etiam?

etiam? vt probet hanc animi mei declarationem, puram, ſine fuco, ſine ambitu, qualis mundi ille ſtatus eſt ſuper nubes. Stoica noſtra vidiſſe te non nolo, magis approbaſſe. Idem in Monitis: quæ plus fortaſſe prompti, vt ſic dicam, fructus habent: ſed Stoica examinata ad virtutem ducunt, directa iudicio, quod Pietas formauit. Acceſsit nunc & meus Seneca: & iure mirabaris, ſi quid poſt multos & magnos illos poſſem. Potui, & ad ſcripta ac Notas meas appello. Et ſi nihil in ijs quod circulum, id eſt populum ſpectet: breuia & adducta ſunt, nec niſi examinanti laudanda. Te aliquem lectorem, non e pullata turba, poſcunt. At ego deinceps; etiam tuum amorem: hoc magis, quod frui diu fortaſſe non erit, ita valetudo hæc præcipitauit caſu nupero: at tuam ego firmam opto, o Italiæ tuę (patere me ſic loqui) Homere. Louanij, poſtrid. Id. Octob. M.D.C V.

Sciſne Epiſtolarum tuarum libros ante annum in Germania recuſos? Vides iudicia, & confide de fama.

M. Ant. Virgilio Battiferro. *Vrbinum*. 12.

SAlutauit me tuo nomine Comes Gregorius Beuilaqua, & ſimul viſus eſt admonere, vt hoc mitterē verſiculorū, quos nuper edidi, futuros aut pręmium memoriæ tuæ, aut pignus meæ. Peto a te, vt paruum munus cum Leone noſtro commune habeas, & ab eo aliquid

mihi

mihi rependas. nam neq; paruitas impedit, quo minus cum altero partiaris; nec ideo eſſe munus deſinit, quia pretium repoſcit. Veſtrũ quoque cum remiſeritis, munus mihi erit, non pretium: nec ideo magis diuiduum, quia magnum. Valete Peruſiæ Idibus Nouembris.

Porphyrio Feliciano Abbati. *Romam.* 13.

IMportunitatem ſpecta mãnaſticam! Bimẽſtre ſpatium præterijt, cum rogaui per litteras Illuſtriſsimum, eumdemq; communem Dominum, vt Franciſcano illi propinquo meo impetraret a Pręfecto generali vnum ex tribus ſuggeſtis, Piſanum, Aſculanum, Typhernatem. Id quod Illuſtriſsimus idemq; humaniſſimus Princeps (vt ſtatim ex ipſius Præfecti litteris cognitum eſt) ſtrenue amanterq; confecit. Nunc idẽ me Frater rogat, atq; vrget inſtanter, vt Cardinali hoc ipſum redigam ad memoriam, & nouis fatigem litteris. In quo ego morem illi gerere auſus non ſum. nec putaui eſſe pudoris mei, Cardinalem, hoc eſt Eccleſiæ publicum Principem, de huiuſcemodi negotiolo iterum interpellare. Confugio igitur ad te Porphyri, cuius ſingularem humanitatem non ſemel expertus ſum, in me pariter & in ceteris. Te primum hoc latere non poterit, an huiuſmodi officio rurſus fungi oporteat, vel nos cum Principe, vel Principem ipſum cum Pręfecto Franciſcanorum. deinde ſi ſtatueris eſſe fungendum, ipſe optime conſtitues

ſtitues, qua rem ordiri, qua perſequi, & ad finem perducere opus fuerit. Illud autem minime dubito facturus quid ſis, vel mea cauſa, quem profecto amas; vel eiuſdem concionatoris gratia, quem odiſſe non debes. & ſi enim in munere flagitando videtur eſſe moleſtior, & eſt plane: tamen in exequendo talem poſtea ſe præbet, vt quantam ille pietatis, eruditionis, eloquentię famam conſequitur, tantam nos laudem referamus, ideſt Princeps benignitatis, quia promouerit; ego iudicij, quia commendauerim; tu vtriuſq; quia pariter vtrumq; præſtiteris & curaueris. Certe Aquilani, ad quos proxime paſcendos eſt miſſus, beneficio Principis, & ſtudio noſtro, tam magnifice ac liberaliter exceptos ſe confitentur, vt vix meminerint, ſe quidquam vnquam guſtaſſe iucundius, ſalubrius, vberius. ita mihi fecerunt fidem homines bene ſani, qui ſæpe in illius pio conuiuio diſcubuerunt. Sed ego in te rogando fui longior & odioſior. Ero in referenda gratia fortaſſe acceptior, certe breuior. Pro vno Franciſcanorum, quem commendaui, dono tibi Franciſcum ipſum, & cum eo alios Cœlites; qui tametſi minus exculti, & minus ornati a me fuere; tamen vincunt diuina geſta humanas vires, & illorum egregia virtus fulgebit clarius per meas tenebras. Vale. Peruſiæ. Cal. Nouemb.

Iulio

Iulio Cæſari Stellę.
Romam. 14.

ERgo tu Orationes in lucem, nec ad me vnum exemplum? hoc mihi nudiuſtertius abſe narrauit, qui ſalutem abs te nunciauit, Io: Baptiſta de Alfanis. Non agam dolo: videris idem recordatus, & idem oblitus mei. Salutatio probat recordationem; ſed hęc officij prætermiſſio magis olet obliuionem, aut (quod nolo dicere, nolo credere) neglectionem. Si velles memorem haberi te, debuiſti addere ſyngrapham, & chirographum aliquot cautionis. verborum leuior eſt fides, cum ſcriptura ſupprimitur. Poteram vltum venire hanc iniuriam, & tecum lege agere talionis. Nos etiam Orationes tonamus, & emittimus carmina: (vere tonamus, ſed per fudum: vere emittimus, ſed in auras.) hęc viciſsim celare te poſſumus, & celabimus. Sed nunc cogito ineptus, quid faciam, & quam me imprudenter vlciſcar. Vt enim iniuria eſt mihi, quod tua non habeam; ſic credo, erit beneficium tibi, quod meis careas. Quamobrẽ amplius deliberabo, facturus quid ſim, & te interim lepide repungam ictu ancipiti, ſpiculo bicorni. Nam vtrinq; moleſtiam tibi exhibebit hęc mora, metuenti ne mittam mea, ſi lecturus es non libenter; ne non mittam, ſi libenter. Vale.

Digitized by Google

Baptiſtę Guarino. *Ferrariam.* 15.

SVB initium menſis Auguſti redditus eſt mihi a tabellario faſciculus litterarius, intra quem nullas litteras, nullum ſcribentis nomen offendi: ſignum quoque ita erat ferentium incuria turbatum, ac prope fugiens, vt prodere non poſſet auctorem. iſta inquam, faſciculo defuerunt: ſed intus rem habuit omnibus litteris potiorem, & nomen mihi præ cæteris venerandum, cuius internam effigiem animo virtus impreſſerat, Orationem Baptiſtæ Guarini ad Pontificem Paulum Quinctum. Cui legendę cum ſtatim admouiſſem atque arrexiſſem aures, nihil tunc quidem aliud cogitaui; Quis miſiſſet, vnde veniret; perlecta vero & probata, tum demum cœpi velle cognoſcere, cui tale tantumque beneficium deberem, & quo dirigerem actionem gratiarum. Ignoſcat mihi humanitas tua, Vir præſtantiſſime. multi animo occurrerunt, quos Romę habebam amiciſſimos, Franciſcum Vibium, Senſum Senſium, Philippum Spadam, & Comitem Gregorium Beuilaquam, a quibus talia in me officia ſæpe prodierant. De te autem ipſo numquam penitus in mentem venit. credo exiſtimaui, te principem illuſtriſſimæ Legationis, occupatiorem fuiſſe illo tempore, quam vt poſſes ad me animum referre amicum humilem,

amicum vltimum ; licet nobilibus , licet veteribus non cedentem . mei enim erga te ſtudij ac reuerentiæ ſingularis , eram mihi conſcius.declarandi ac teſtificandi , non voluntas nobis defuerat , ſed facultas. Itaque vix mihi Criſpoltus Archinſenſatus fidem fecit, auctorem eſſe muneris, qui Orationis fuiſſet : te miſiſſe , qui feciſti . Eundem inquit , honorem communiter Inſenſatis , & priuatim mihi habendum putauit . Sed nos ſignum facile agnouimus,& primo quoq;tempore gratias illi agere deſtinauimus . Sic credidi,atque adeo gloriatus ſum,me abſte magno Equite,vel magno potius (vt ſic dixerim) Imperatore exercitus litterarij , non in turbam gregariorum, ſed in ipſam cohortem prætoriam eſſe receptum. Ad quam militiæ dignationem, tua humanitate prouectus , non debui amplius vereri,quin deferrem egomet per epiſtolam, non quas prędas , collatis ſignis , cæſiſq;hoſtibus , ex Turcico Helicone conuexerim,cui rei magis idoneum tempus reſeruatur;ſed quæ tantũ leuiculis expeditionibus adeptus ſum in æſtiuis . Res quidem (vt videbis) non magnę, nõ amplæ ſunt.conſcius enim infirmitatis virium mearum , feci de induſtria , vt fatigationem breuitas præcurreret, & faſtidio varietas mederetur Vale.

Senſo Senſio I. C.

Romam. 16.

ILluſtriſsimus Beuilaqua Legatus Seraphidem a me per litteras poſcit. magno iure, quia

quia Legatus; maiore quia beneuolens; maximo quia olim promiſi, cum edebatur, & repromiſi poſtquam edita eſt & vulgata. miſſurus fui per Illuſtriſs. Cardinalem Pium, & tuleram eo mecum codices duos. Sed inſperanti ſuperuenit Octauius Rudulfus, cui negare alterum non debui, non ſuſtinui. Scis profecto illum etiam quantum nos diligat, & quam noſtra libenter legat. Dices: imo tu quidem non dices, ſed alius dicere poſſet: Cur ſtatim alium codicem non concinnaſti, non retuliſti, non dediſti? Vltimus hebdomadæ fuit dies, cũ veni ad Pium nocte inita, cenaturum apud Scottum: poſtridie autem (Dominicus is dies erat) pranſurum apud Vbaldum, mox migraturum. Mihi ergo nec liber ad manum fuit, extra Collegium poſito, nec ſi fuiſſet, compactoris copia erat futura per feſtum diem. Quid? non fuiſſe vnum domi exemplar compactum vinctumq; eleganter? fuit quidem & plus vno: ſed non eleganter, neq; (vt ſic dixerim) Cardinaliter. Hanc ergo (vt vides) non meam, ſed fortunæ culpã tua, Senſe, humanitas luet: non iniuria, quia tam crebro expoſtulas mecũ, quod malo alijs, quam te vti, vel potius abuti ad talia; ſiue incommoda, ſiue diſpendia. Titum ſororis tuę filium ſæpe arceſſo, indolem excito, progreſſum exploro & promoueo. Spes eſt, qualem optamus, & mater vouit, futurum. Dabo equidem in id operam ſedulam, vt ſi quando ſtudium eius relangueſcat, meum iure accuſari non poſſit vel ſilentium, vel officium. Vale Perusię.

Angelo

Digitized by Google

Angelo Roccæ Sacrarij Apoſtolici Præfecto,& Epiſcopo Tagaſtẽſi. *Romam.* 17.

VALDE amans mei, & valde reuerens tui theologus Auguſtinianus Fr. Innocentius a Peruſia, cum heri neceſſe habuerit Sulmonem verſus iter ingredi ad verbum Domini per feraces illos campos ſeminandum, rogauit me, vt chartaceum faſcem ab ſe relictum, atque inſcriptum tibi, primo quoque tempore Romam tranſmitterem, curaremq; vt tibi fideliter redderetur. Mittam igitur quarto poſt die: nec enim prius contingit facultas mulionum: Et mittam ad Iulianum bibliopolam Peruſinum nobis amicum,qui haud dubie redemptum faſcem cõtinuo perferet ad te domum. Intra faſcem hęc ſunt ſcilicet, laudationis Thadæanæ, tibi dicatæ, duodecim exemplaria,quæ Innocentius ipſe congeſſit: præterea noſtrarum Epiſtolarum volumen vnum, & Seraphidos alterum, quæ nos adiecimus, noſtræ aduerſum te, inſigneſq; virtutes tuas, obſeruantiæ ac deuotionis ergo. Sacra pariter & non ſacra miſcuimus, graue Carmen, leues Epiſtolas; librum ſerium, librum iocoſum: vt ſic temperarent alter alterum. Facit autem humanitas atque facilitas tua,quam omnes prędicant, vt hoc ſperemus ac pro comperto habeamus, quæ leuia & ridicula in noſtris ſunt, ea potius tibi placitura, quia

cum

Digitized by Google

rum grauibus & ſerijs coniuncta ſunt, quam hęc forſitan non placitura, quia cum illis. Vale.

Fuluio Corneo Marchioni. Caſtalionem. 18.

FVI nudius tertius occupatior, cū Diomedes frater, accitu veſtro, Caſtalionem ad vos ſe retulit in hos dies geniales. Itaque nullas ei ad te, nullas ad Illuſtriſsimam Parentem litteras dedi. tantum monui puerum, vt reuerēter meis verbis ſalutaret vtrumq;. Nunc accedunt ſalutationibus litteræ, teſtes fidei, deuotionis, obſequij certiores. Diomedem (ſi Deus adiuuat conatum noſtrum) ſperamus haud dubie reſponſurum fraternę curę, materno voto, meritis & amplitudini maiorum veſtrorum. valet ingenio, ſolertia, iudicio ſupra ętatem:& ad ſtudiū duabus rebus mirabiliter excitatur, cupidine honoris, & æmulatione ſodalium; quam nos de-induſtria fouemus, & ſic identidem renouamus, ac temperamus, vt certandi ſtudium augeatur, & ſpes vincendi numquam deficiat. illum vero ad honeſtatem æqualiter incitant ignominię metus, & amor gloriæ. Nos vtrumq; ſtimulum in tempore admouemus: & (quemdmodum principia ſe dant) id confidimus, quod ſupra expoſui, futurum vno verbo, qualem volumus & optamus. Singularia quædam & magis præcipua de illo cognoſcetis ex eo, qui

hanc vobis epiſtolam reddidit Collega meus, homo diligens,induſtrius, & Diomedis magiſter in grammaticis. Illuſtriſsimæ atq; Excellentiſsimæ Parenti felicia & lęta omnia precor a magnis Superis. Te per veſtigia maiorum tuorum ſtrenue ambulantem, florere opto pari virtute, pari gloria, fortuna etiam, ſed magis indulgente,magis cōſtante. Peruſię.

Thobias frater meus multa commemorat tua in ſe beneficia, & ſtudia ſingularia. Gaudeo immortaliter tantum Principem mihi, meiſq; ita fauere, vt ego illum perpetuo colendum mihi ſuſcepi cum meis. Claudium Contulum, ſi forte apud te eſt (quod facile ſuſpicor) iube mihi reſcribere non epiſtolam, ſed poëma: ſic illum decet, Muſis amicum, qui nunc maxime

Dulcia Caſtalio pocula fonte bibit.

Io: Baptiſtæ Remboldo.
Romam. 19.

GEntilitium Inſigne Auunculi tui, ſi iam accepiſti, erit mihi pergratum, ſi continuo in æs incidendum, & ad me perferendū curabis. viginti ipſos dies præſtolari adhuc poſſum ſine incommodo: fortaſſis etiam paulo amplius: ſed tu reſcribe interim, facturus quid ſis. Atq; audi: Si forte non accepiſti, nec intra hos dies accepturum te opinaris; quid quæſo impedit, quo minus eo vtamur, & id iubeamus incidi, quo Auunculi obſignantur

tur epiſtolę? Mancum inquis, atq; imperfe-ctum eſt: in antiquo pluſcula ſunt, quæ iſtic deſiderantur. Audio: ſed hoc mi Rembolde, adeo non lædit noſtrum conſilium, vt etiam iuuare aliquid videatur. Excudere habemus in minima folij pagina, quam librarij ſextam decimam appellant. quanto igitur ſignum erit ſimplicius, tanto & expreſſu facilius, & aſpectu iucundius reddetur. Mitte igitur (ſi me amas) effigiem iſtam ſimplicem in chartula depictam, ſed ambitu quam minimo, vt ad te antea ſcripſi: qualem videlicet folioli paucitas requirit. Ego hic quam primum, & quam optime inſculpendam curabo.

Sed heus tu, miſin' ego ad te ſub autumnum, epiſtolam latine inſcriptam Ioanni Vouerio? certe miſi, & te ſimul rogaui, vt mitteres Antuerpiam. Sed vereor vt acceperis, cum Ameriæ per id tempus diutule fueris, nec Vouerius ad hanc diem remiſerit quicquam. de hoc etiam, cum mihi reſcribes, adde verbum, & Vale cum illuſtri adoleſcente Carolo Gratiano, de quo gaudeo equidem, quod mihi multam ſalutẽ: non gaudeo, ſi & Muſis. Peruſię.

Horatio Lombardellio.

Senas. 20.

ORationem tuam de ſtudiorum hoſtibus arcendis (ita me meoſq; tueatur ab illis Deus) legi ſemel atq; iterum tam libenter, & tam hilariter, vt præ illa ſordeſcant mihi,

quęcunq; per hos dies, mulcendis auribus parant aut Bacchus, aut Lupercal. Omnino elegans eſt, acuta, efficax, robuſta: nec leporibus tamen caret, aut vſpiam deſiderat ſuauitatem. At heus tu? ſcin'me iuuenem admodum in eodem argumento eſſe verſatum? Quę Oratio ſtatim edita eſt, ante annos ipſos duodeuiginti. Sed ea hodie cum ab vno ex Auditoribus producta eſſet in medium; primo palam loqui auſa non eſt, ſuam melius intuens deformitatem, comparata ad pulcherrimam. deinde generoſo impetu rapta, ſummittit genu, & tuæ palmam cedit venerabunda.

Menſes ſunt circiter duo, cum accepi a te breues litteras poſtrid. Non. Octobris datas, in quibus petebas, vt Camillo & Octauiano bibliopolis Senenſibus, eiſdemq; nepotibus tuis, mitterem non nulla exemplaria Opuſculorum meorum. Miſi ſtatim (quæ prima muſionis occaſio fuit) Grammaticas, Rhetoricas, Epiſtolas, Poëmata ſimul pia, ſimul profana & iocoſa. ſingulorum codices quattuor, vnum in faſcem coniecimus, tibi ſuper-inſcripſimus, litteras etiam adiecimus, & ſoluimus pro vectura. de pretio nihil præfiniui: ſed eorum volui eſſe arbitrium, qui vendere haberent. vnam tibi donabam Seraphida, quam ſepoſui a ceteris ſupra numerum. Mirabamur ego & Conſtantius bibliopola, qui tuas Peruſiam litteras tulerat, & mandata etiam ab tuis, non venire a vobis vnam litteram, quæ nobis ſignificaret, faſcem Senas eſſe perlatum, & vobis

bis redditum cum fide. Accepi demum heri cum Oratione litteras tuas, ex quibus tametſi facile intelligo, librarium illud inuolucrum perueniſſe iſtuc incolume, cum ſcribas laudabundus, vendi palam, & in pretio haberi libellos meos: tamen vellem, nobis expreſsius ſignificaſſes de faſciculo recepto, & ſtatim credito bibliopolis. ſuſpicamur enim ne alius quiſpiam noſtra iſtuc importarit, vt quotidie important alij alio ad reuendendũ. Auget ſuſpicionem Turinus noſter, qui ſcribit requiri ab eruditis neſcio quibus lucubrationes omnes meas. quid enim me poſcunt amplius, ſi iam ſingulę iſtic venduntur, & proſtant palam? De hoc cupio, planius & apertius mihi ſignifices. tum iubeas etiam biblíopolas tuos reſcribere ad meum, qui cum aliud habent negotiorum, præter commune noſtrum. poſtremo diligas volo Turinum meum, quem ego propter animi probitatem, & ſtudium virtutis, amo plurimum; & me intelligo iure facere, cum me pariter diligat, te vero etiam obſeruet colatque.

Miſi ſtatim tuas ad Laurum litteras in Seminarium, miſſurus & orationem, cum poſtea illas remiſerit. eo factum, vt non ſatis meminerim, ſi quid forte aliud ſupereſt, ad quod habeam reſpondere. At at mane ad huc pluſculum. in extrema epiſtola voues tibi vſuram vitę longiorem, vt poſſis Parthenidem meam legere. voueo ego pariter, vt poſsim conficere. arduum profecto eſt opus, & multis ſeptũ molibus difficultatum, quas vereor, vt mea

cillitas amoliri poſſit : vel ſcio potius, me omnino nō poſſe. CHRISTVM IESVM ſpero affuturum, eiuſq; Matrem Virginem, quorum acta ſimpliciter cano, nullius Principum gratiam reſpiciens, & nullum in terris præmium expectans. Vale.

Mucio Manfredo. 21.

TE profecto, heri veſperi diligentius recognoui Etruſcam Oden, quam ſcripſi olim ad Lucullum Baſſum; ſed mittere non eram auſus, quia mihi quædam in illa clauſula diſplicebant, quibus te quoque ſuboffenſum eſſe animaduerti. nec dubitaui amplius, quin mutarem. nunc mihi quidem facilior & planior videtur, non elegantior, non rotundior. Hoc tam ego facere neſcio, quam tu ſoles, ſi otium ſit, facile, breuiter, excellenter. mihi quicquam conari aliud in hoc genere nō licet, non libet. Deiero tibi Manfrede Vir doctiſsime, pluris emptam mihi a Muſis vnam Odulam Etruſcam, quam ſoleo decem latinas; atq; vtinam feciſsem aliquod operę-pretium, quod certe non feci. præponderant illarum verſus quattuor his quattuordecim. neq; hoc dico, quia multum tribuam Latinis meis, ſed quod minimum Etruſcis. Vale.

Eidem

Eidem. 22.

EN librum tibi, de quo heri coram egimus, Argutarum Epiſtolarum. Sic illum ſuus inſcripſit Pater. ceterum nihil indidit arguti præter nomen. ridebis frigus in ſententijs, calorem in verbis, affectationem in vtriſque. illud vero etiam ſtomachaberis, eſſe auſum dare litteras Etruſcas hominem non Etruſcum, qui ne pueriles quidem ſermonis etruſci regulas tenet. *il ſtromento, gli lettori, la loica d' Ariſtotele, lo accidente medemo, cadauna, per cadauna coſa,* & his alia fœdiora tam ſæpe occurrunt, vt ſenſus etiam argutiſſimos corrumpere poſſent. bene factum, quod nulli ſunt vſpiã. credo miſereret nos infelicium argutiarum, ſi talibus verborum ſordibus inuolui coactæ forent. Harum ego tamen (vide fortitudinem meam) ſuſtinui audire circiter viginti continenter. quas ſi nunc relegere opus ſit, malim totum diem ſaltare & currere perſonatus. fere dubium non habeo, Manfrede Vir eruditiſſime, quin mecum penitus ſentias. tamen ſi forte aliter iudicaueris, nõ continuo aſſentiar: appellabo rerum talium ſcientiſſimam Hipolyten tuam, quæ licet Benigna ſit, ſpero tamẽ huius ineptijs fore aſperrimam, ideſt iuſtiſsimam. Vale.

Digitized by Google

Iuſto Lipſio V.C. Louanium. 23.

EX quo increbuit, quanti me facias, multi ambiunt per me tibi commendari genere, opibus, doctrina inſignes. ſed non æquum eſt patere multis, quod ſit tantum bonorum: & neſcio quo modo poſt Principes tibi laudatos, non admittit priuatas commendationes calamus ſuperbus. Quid ergo eſt? cur hunc hodie ſuſtinui dare adoleſcentem, certe omnibus naturæ ac fortunæ bonis inſtructum, nec Principem tamen, aut Dynaſtam, ſed priuatum? cauſa eſt vera, teſtata. Tuus eſt diſcipulus, & tuus prope dixerim filius, o magne Lipſi, Paulucius meus. quem non hercules dono, ſed reddo & remitto hypodidaſcalus ad magiſtrum, alumnus ad patrem. Lege litteras, inſpice notas, & vide indolem. non dubito, quin facile agnoſcas & probes tuum. Qui ſi feracis ingenij, quod ego tuis rigaui vndis, frugem ampliorem cernere poſſes: non tu illum in Italia genitum, nec noſtra excultum diſciplina; ſed prorſus ex te ortum, a te alitum, tibi deniq; adultum putares. adeo te non ſolum imitari, ſed exprimere laborat, & ad omnem humanitatem non modo ſequitur ducem, ſed vnum ducem. Ignoſcat mihi Puteanus, quem certe facio plurimi; nec ægre ferat Vouerius, aut me putet dicere iratum, quia non reſcribit ad meas. neutri multum concedere habet Con-

ſtantius

ſtantius meus, quaſi te ſyncerius colant, diligentius obſeruent, felicius effingant.
Ipſe quidem fateor vinci. me pone relicto
Communē ſpatio ſequitur propiore Magiſtrū.
Excipe igitur libens volens, natam tibi apud nos legitimam prolem: & tecum bene agi puta, quod pro alumnatu, & cultu pretium poſcimus, ſane ingens nobis ad perſruendum, ſed tibi facile ad perſoluendum, amoris tui exiguam notam. Sic erimus in poſterum promptiores ad propagandum, ad alendum. Deus te ſoſpitet Patremfamilias tot millium liberorum ad nouos fœtus, mox daturos progeniem vberiorem. Vale Peruſiæ poſtrid. Id. Decemb. CIↃ IↃ CV.

Eidem, *Louanium*. 24.

ACCEPI faſciculum nuper datum. atque o factum bene! paranti Romam mittere ad Legatum ſuas, en Cardinalis Emanuel Pius, commodum voto expeditus, ab Laureto recurrebat Romam. in tempore obuij fuimus, Peruſiam frequentes deduximus, quatridui moram iniecimus. me vt vidit atque amanter complexus eſt; Quampridem (inquit) a Lipſio aliquid? Porrigo recentes tuas. legit, dilaudat, exemplum poſcit. Ibi de te tuiſq; immortalibus vigilijs rara, admiranda. Tum Pius: Ego (inquit) feram litteras ad Illuſtriſsimum Beuilaquam, pretium peto, vt hoc ſcibas ad

Lipſium, & ſalutes meis verbis. Faciam vero inquam hoc libentius, quod imperium magni Principis mearum crebritatem & longitudinē litterarum, vel laudabit, vel excuſabit. Vale.

Iuſtus Lipſius Marco Antonio Bonciario S. M. D.

Peruſiam. 25.

EN tibi ad Paulucium noſtrum. Vere iam noſtrum: & te ſic cōmendante quomodo non amem? Habet apud me condignum pondus iudicij tui auctoritas: & eius profecto ſcriptio ſatis Leonem ab vngue iſto oſtēdit. Amo, & amabo. De Cardinale Pio gaudeo ſic in me perſeuerare: ſed te in primis rogo facere, etiam cum non ero. & quam diu ero? annum quinquageſimum nonum Octobri hoc vltimo ſum ingreſſus: & vides quam longe carceres reliquerim, & accedam ad metam. Aliquid tamen etiā nuper ſcripſi, quod LOVANIVM inſcripſi: eſt oppidi atque Academiæ huius breuis deſcriptio. velim habeas, videas, cenſeas; ſed ante omnia me ames. Louanij Kal. Febr. ∞ IↃ CVI.

I. Lipſius Conſtantio Paulucio S.D.

Peruſiam. 26.

EGO vero libens manum vidi, cuius animum, vt ais, iam pridem habui, & illam teſſeram, aut fidem huius amplector. An non

faciam

faciam in tam elegantis ingenij iuuene, ideſt qui tã pleno gradu ad optimas artes, aut venit, aut pergit? qui ſolida illa, & ſola bona æſtimat, ad quæ vulgus non aſſurgit? certe facio, & libentius quam ſcribo: quod agnoſcas, ſi aut coram vultum videas, aut ſermones poſſis haurire. Epiſtola non admittit illum calorem, illam ἐνέργειαν, quam oculi, & vox donant. Sed bona fide accipe, acceptum mihi magnum illum tuum in me affectum; paria me in illo facturum, etiam ſi in officio, aut ſcriptione delinquam. Nam mi optime Pauluci, & languor aſſiduus, & ætas iam grauis, frigus mihi aliquod donant, nec ſum ille excitatus & alacer qui ſoleo: & ipſum me alibi (cur diſſimulem?) requiro. Mortalium lex eſt, creſcere, vigere, deficere: tu priora illa facito, alterum ſero facito, & in mei amore numquã. Nomen tuum mi CONSTANTI, ſpondet. Louanij Kal. Febr. ∞ IↃ CVI.

Iuſto Lipſio V. C.
Louanium. 27.

QVAM hic habes epiſtolam incluſam, miſit hodie ad me Roma Pius Cardinalis apertam, mox obſignandam, mox mittendam. Parui ſtrenue, tua pariter & mea cauſa: tu vt celerius te purgares, ego ne iram Principis deriuarem in me. Senecam tuum libare vix potui. vnus Peruſiam codex perlatus eſt: eum ego ſtatim occupaui. Sed parum mihi celeritas profuit: Cardinalis, Gubernator,

Digitized by Google

Epiſcopus, alij principes viri abduxerunt, & inuicem fruuntur. Guſtaui ego tamen, & guſto identidem per illos, ſed quantulum magis excitet, quam ſedet aut leniat famem. ſi propediem (quod ſperamus) veſcendi erit copia largior; para veniam cæco edaci, cæco loquaci, & vora fortiter moleſtiam legendi dulcedines meas. Te maximis omnibus de cauſis valere volo; ſed etiam propter hanc, vt graue opus, quod expolio, ſubeat tuam limam; ac ſi meritus fuero, illuſtret iudicij tui radius meam noctem. Sed iam flagitat faſciculum tabellarius. Vah præproperam feſtinationem! qua mihi eripitur voluptas tecum loquendi vberius per litteras: tu illam credo amas, non ſemel tœdio affectus crebritate, vel longitudine mearum. Vale.

Eidem, *Louanium*. 28.

COmmodum data epiſtola ſuperiore, Dux Aſcanius Paulucius, Conſtantij noſtri pater præſto adeſt cum tuis ad me, ad filium. O fauſtum nobis atq; feſtiuum diem! triumphamus vterque affectu & beneficio in nos tuo. Dolet, quod referendo non ſumus. cultum animo exibemus, voce & calamo teſtamur. pręterea tibi a Superis bona omnia, in his maxime longęuitatem precamur. nec tua ſpem noſtram infirmitas frangit. Vt enim flamma e lycno diutius viuit, ſi parce alitur, & tenuiter ſplendet; contra citius extinguitur,

Digitized by Google

tur, ſi perpetim oleo ſaturata viget polletq; ita robur vires corporis breuius exhaurit, imbecillitas facile producit in longum. Seneca tuus recte, MVLTORVM, inquit, mortem diſtulit morbus, & ſaluti illis fuit videri perire. Nec ſane mirum cito deficere, quod prodigitur, durare, cui parcitur. Felix eſto.

Carolo E. Pio S. R. E. Cardinali amplisſimo.
Romam. 29.

FEſtinantes in Belgium litteras tuas (Lipſius diceret, Iturientes) dimiſi eodem die, quo Peruſiam ſunt delatæ III. Id. Aprilis. Accidit percommode, quod ſtatim oblata eſt facultas mittendi Auguſtam ad Marcum Velſerum, ſuæ Principem Ciuitatis, mei amantem, Lipſio intimum in primis. Hanc ego nuper mihi aperui viā ad Belgas, quæ numquā fallit. Vnum tuli ægrius, quod feſtinatio prohibuit litteras adiungere pleniores. monui tribus verſiculis, quid ageret, quid caueret. facturum puto. Et vin' libere fatear, mi Patrone humaniſſime, quod res eſt? illa tibi properatio atq; celeritas bono fuit, quia mihi ſimul copiam attulit parendi, ſimul ſpatium abſtulit cogitandi, Fortaſsis enim non miſiſſem ad Lipſium tuas, licet omnium quas legerim, elegantiſſimas, ſi tantum dieculam mihi ſumpſiſſem ad deliberandum. Quid enim? fuit olim mihi honori, quod ſum rogatus, vt ad
ſcriberem

ſcriberem Lipſio ſalutem tuis verbis, non epiſtolam ad illum ſcribere, ſed querelam, ſed dicam? Vocas tu quidem me honeſto titulo, Fœcialem atque internuncium certaminis ineundi. ſed ego aut Notarius mihi eſſe videor, ſi do ſchedulam iudiciariam, aut Baiulus, ſi fero. in illo minimum eſt dignitatis: hic autem ignominia non caret. Verum enim vero nihil mihi eſſe poteſt non honeſtum, quod meo Principe imperante, confecerim. cuius ſunt iuſſa omnia mihi optabilia, hoc vero etiã glorioſum, ſi ſcribere impellar ad Lipſium. a quo ſæpius appellando cum me humilitas mea deterreat, tuum facit imperium, vt etiam laudabile ſit, quod appellem. Ceterum ſpes mihi eſt veſtram litem facillime deciſum iri; cũ ſciam, neq;te poſſe poſcere, quod Pium nõ ſit, neque illum debere negare, quod Iuſtum ſit. Vale.

Camillo Baronio Abbati.
Romam. 30.

QVÆ per Bernardinum Periglium ad me miſiſti numiſmata piacularia, tam mihi grata fuerunt, quam muneris pretium requirebat, ideſt ſingulariter, immortaliter. Aerea ſunt & rudia, dicit aliquis; non aurea, non gemmata. Sic ſunt plane. verum obſecro te, quiſquis es, qui temere Baronij mei extenuas donum, reſponde breuiter, quod rogo: Cui rei, vel cuia gratia expetuntur pecuniæ?

Dices:

Dices : Ad ea comparanda, quæ nobis opus eſſe arbitramur ad victum, ad cultum, ad dignitatem. Recte. quondam igitur pecuniæ genus, aut pluris æſtimari, aut diligentius quæri, aut carius cenſeri æquum putas? nempe id, quo magis vtilia, magis commoda, magis honeſta emere poſſumus. Age igitur quid homini vtilius, aut commodius, aut honeſtius contingere poteſt, quam regalis opulentia, gaudium ſemper manſurum, & numquam peritura felicitas? Talem nobis emptionem nũmus æreus, exiguus, vnicus pollicetur. quis præ illo gazam Perſicam, & Attalicas delicias, & purpuram faſtuſq; Indicos non contemnat? Somnia hominum otioſorum, aut cupidorum ſunt, quæ mytologi fabulantur de Sycophanta, cui ſacculum nummarium fors dederat ſemper (cum vellet) parientem, ſemper prægnantem. hauriebat decem, centum, mille, plura millia ſcutatorum. vix hæc exierant, cum alia ſubnaſci, exiſtere, locum capere abeuntium; putes crumenam ex illa genitam eſſe ramorum matre aureorum, in qua

——primo auulſo non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.

Noſtra eſt non fabuloſa, ſed vera, ſolida, pretioſa, & numquam deficiens pecunia, quæ primum æs alienum noſtrum licet grande, licet vetuſtum, licet inſanum diſſoluit tamen aboletq; in perpetuum: denique comparat cœleſte domicilium, cum diuitijs ingentibus & æternis. Et ſi autẽ de frutice illo aureo, multa ſubtiliter a Græcis Latiniſq; fabularum interpretibus

pretibus differuntur; tamen non temere hoc finxiſſe arbitror eximium poëtam, vt terreſtre aurum iter panderet ad inferna tendentibus; cum hoc noſtrum ex diuerſo viam expediat ad Cœlum. Illuſtriſsimo Cardinali auunculo tuo, & tibi tuiſque felices opto euenire Natales ferias, & initium anni appetentis. Peruſiæ. XIII. Cal. Ian. M. D. C VI.

Nicolao Senſio, in Seminarium. 31.

OLIM diu eſt, cum accepi epiſtolam tuã, mihi ſæpius petitam, ſemper optatam. Neq; reſcripſi tamen: quia volebam, quo ego pretio magiſtrorum meorum litteras emere conſueueram, ideſt ſingulas quaternis; eo vẽdere tibi meas. Sed tu nimirum parciuſculus es, quam deceat iuuentam atq; fortunas tuas. mecum duce veterano, vel iam emerito, miles nonellus paria facis, & vis tecum aperto marte contendi? Ac vide quantum te diligam, & quantum tribuam amori tuo & tuorum. accipio condicionem: & te potius laceſſam ipſe poſt hac, quam non reſpondeam pronocatus. Vnum a te non auctoritas mea poſcit, ſed occupatio petit; vt interdum longioris reſponſi loco habeas redeuntes ad te litteras tuas. remittam namq; (quod olim pollicitus tibi ſũ) caſtigatas, aut magis cultas. Venies etiam interdum ad me, afferesq; tabellarius & ſcriptor tuas. quod ſine dubio tibi fructuoſius, mihi iucundius fuerit. Vt enim magis expedit

dit ęgrotantibus coram cum medico loqui, quam conſulere per internuncium, aut per ſchedulam: ita magiſtrorum & diſcipulorum condicio eſt. coram facilius diſcitur, efficacius docetur. Vale.

Petro Dino. Florentiam. 32.

COSMVM Saſſettum ad me adeuntem, hodie ſum allocutus, quem diu non videram. Feſtinatio de te quærendi prope officium reſalutationis excluſit: Quid, inquam, noſter Dinus? Ille mihi narrauit de obiecto tibi periculo inter venandũ. quod vbi aure ſollicita, & ſuſpenſo in exitum animo percepi; primum egi magnis Cœlitibus gratias, qui te incolumem præſtiterunt, malueruntq; in poſterum habere quid caueres, quam quid doleres: deinde pro mea in te obſeruantia, & ſtudio ſingulari, tenere calamum vix potui; quin prope ad conuicium vſque decurrerem, obijciens tibi rationem venandi Plinianam, quæ videlicet periculi penitus expers, valetudinē roborat, excitatq; ingeniũ mirabiliter ad meditandũ. Sed omnes belle ſapere nobis videmur poſt euentũ: ſi forte antea conſulimur, fatui & excordes futuri. Clauſula hæc erit, quam non amor ſolum, ſed veritas dictauit, Ingenio tuo Mineruę potius, quam Dianæ ſtudia conuenire: nec iſta vnquam niſi propter illa. præterquamquod haud veſtrum videtur eſſe diuitum nobilium, captare feras, ſed tantum capere

capere in cubiculis, non per nemora; & ſedentes, non currentes. Vale.

Dominico Pinello Abbati. 33.

FVIT mihi auditu periucundum, Pinelle Adoleſcens Nobiliſſime, quod Epiſtolas & luſus meos frequenter legas (vt Leo ait, & tu confirmas) cum voluptate ac lucro aliquo latinitatis. Iam quia per hęc tempora præcipuũ quemdam in modum pietati ac ieiunio dicata, nõ ita multũ decere videtur relaxare animum iocationibus licet ſalſis, licet vrbanis; venit in mentem mihi, congruum tempori munuſculum ad te mittere, funebrem Laudationem. quæ tam & ſi ante dies circiter duodecim erat nata, non ſuſtinuit prodire inculta & lugubris inter delicias geniales; latuitq; tantiſper domĩ apud me, donec dies venirent ſacri pariter ſobrietati & Muſis. credo etiam (vt nunc aſtutos natura creat infantes) hoc ſecum ipſa cogitabat, deformitatem ſuam fore minus conſpicuam inter ſqualorem mæſtitiamq; lectorum. Sed ipſa hęc viderit. mihi ſatis eſt, ſi Pinello Abbati mea pignora tam læto, quam triſti tempore præſto ſint, & vicem expleant meam. Vale.

Comiti

Comiti Honorato Vicecomiti. 34.

P. Famiani Stradæ Orationem, quam mihi Sfortia Corneus a te attulit, audiui, diſcuſsi, probaui. Amabam olim ingenium & facundiam hominis ex prædicatione ſodalium, & teſtimonio P. Valentini; magis amabam, & magis mirabar ex profectu diſcentium, & tuo in primis Honorate Illuſtriſsime, qui vt valde merito gloriaris tanto magiſtro, ſic te ille diſcipulo haud minus merito gloriatur. Sed (dicam pace omnium) non æquant ſcientiam & pręſtantiam hominis veſtra præconia. quantus vir ſit Famianus, mihi credite, paulo melius dicit Oratio ipſius, quam oratio veſtra. eam ego dum auſcultarē, duplici affectu rapiebar, eoq; diſpare ac diuerſo. primum enim ſtomachabar in eos, quos ille inſectatur legũ corruptores, & iuſtitiæ hoſtes, qui obtentu prudentiæ nobis imponunt: deinde Orationis lactea eloquentia, & genere dicendi ſuauiſſimo recreabar. Plane vt cuperem ſic identidem fatigari cum illo cædendis hoſtibus, vt ſic identidem reficerer, in illum oculos reflectendo; verſarerq; libenter in illa pugna, vt poſt quieſcerem in victoria. vnum me aliquando angebat, quod impuri hoſtes hoc vno eſſent minus infelices, quia cadebant ab illo enſe, cuius acies tam fina, tam illuſtris, vt facilem mortem, ita mortis ſolatium ferebat. Vale.

Comiti

Digitized by Google

Comiti Ludouico Sarego Prolegato. 35.

Lepidam rationem inierunt Sodales Auguſtiniani, vt hanc ſibi dictarem Orationem, quam ad te typis editam mitto, Comes Sarege Illuſtriſsime, ac Prætor Reuerendiſsime. Cum enim diu precibus tentatum mouere non poſſent, premente pondere occupationum mearum; ad extremum me hac machina oppugnarunt, & expugnarunt. Ante annos fortaſſe quindecim cum Lauram Corneã eſſe laudaturus, illam dico Fuluij Cardinalis, & maioris Aſcanij ſororem, inuitaui per ſchedulam Thadæum ad funeralia & concionem meam. Schedulæ clauſula hæc fuit: CVRA, vir optime, valetudinem tuam, & exporrige quãtum potes, crudam iſtam & viridem ſenectam; vt hoc officij quam tardiſsime facere pro te habeam. Spero namq; facturum me aliquando: nec tu opinor, prohibes, aut ſperare vetas, tanto, non ſolum quam ego ſum, ſed etiam quam meus pater eſt, natu grandior. Hęc nimirum ſcripſeram ad uerbum mea manu, quod tunc belle vterer oculis, nec dum acies caligans elementa confunderet. Boni ſodales haud ſcio vnde chirographum hoc meum eruerunt, & me, ſcripta dica, in iudicium vocabant. Ego conſilij anceps, & natura fugitans litium, iuſsi cedere pauliſper quotidianas occupationes, dum moleſtis flagitatoribus darem operam, &

iocoſum

iocoſum promiſſum ſerio exoluerem. Feci ergo vt occupatus feſtinanter, vt inuitus negligenter & illis tamen ſatisfeci, quia loquaciter. Tuum metuo, & ſimilium tui iudicium, Vir eruditiſsime, qui forraſſe propter has cauſas excuſabis meam in orando infantiam. ſed hanc grauius, niſi deſino, accuſabis in ſcribendo verboſitatem. Vale.

Laurentio Magalotto. 36.

ERGO Illuſtriſsimus Barberinus a Gallia vſq; tam amantem, & tam honeſtam ad me mittit ſalutationem? cupio gratus rependere vicem, nec meæ in illum obſeruantiæ ſatis eſt, Reſalutare. decet aliquid remittere ac donare ſupra ſalutem. Facies igitur pro eo quantum me diligis, Magalotte, vt hoc opuſculum piorum verſuum a me habeat, ſignum memoris animi, & reuerentis, & gratulantis. Memini ab hinc triennium mea ludicra quam libenter audiret. confido hæc forte gratiora, quia ſeria, quia pia. Quamquã enim in omni genere poëſeos tenet homo doctiſſimus principatum, & pariter tuba intonat, & fiſtula demulcet; tamen haud dubie grauitas præponderat, & eſt Vir melior, quã poeta. Petrum Dinum ad quem ſcio te ſæpe ſcribere, meis verbis aueo ſaluere, cum cohorte doctiſsima nobilium amicorum. Vale.

Mario

Digitized by Google

Mario Celſo. 37.

IAM diu expecto Laudationem Auunculi tui habitam a P.Stephonio, & mox edendam, vt putabamus. quæ tamen ſi ad hanc diem non fuit edita, vereor vt amplius edatur. quædam ſunt lucubrationes, quibus vetuſtas pretium facit: funebrem concionem nihil magis, quam celeritas decet. cito enim areſcit lacryma: & cito langueſcit Oratio, quæ de lacrymis. Sed mihi ſcripta Stephoniana, cuiuſquemodi fuerint, ſemper virent, & ſemper florent. Curabis igitur, Celſe humaniſsime, quam primum vt videamus. nam ſiue vulgata eſt, nos etiam conuenit habere cum vulgo: ſiue vulgata non eſt, conuenit nobis tamen, quia de vulgo non ſumus. Vale.

M.Antonio Maſsio. 38.

HABEO elegantiſsimas, & amoris pleniſsimas a te litteras, quibus debeo longum reſponſum. Sed primum me ſemper aliud ex alio impedit, quo minus ſoluto animo veniam ad ſcribendum: deinde ſperabam fore propediem, vt congredi, & coram loqui horas duas liceret. Vtar ea facultate, quam fors primam obtulerit, aut reſcribam, ſi occupatio permittet, aut conueniam, ſi pedes. Te interim hanc cupio legere Oratio-

nem

nem. quę ſi parum videbitur ornata, mirum eſſe non debet; lugubris eſt, mortuum plangit: ſi vero nimium loquax, & nimium longa; hoc minus eſt mirum: cæcus fecit pro Doctore, pro Cœnobiarcha, pro Pręſide, pro ſene ſupra quinctum & nonageſimum. quam tibi longæuitatem, & virium firmitatem, M. Antoni, ex animo voueo: mihi hoc tantum, vt te pariter laudem gratus diſcipulus magnum Magiſtrum. Vale.

Petro Gentili Seraphino. 39.

FECI parum ciuiliter, quod non miſi hactenus ad meum Seraphinum meam Seraphida. Et nunc demum ſi miſero, cum vulgaris eſt facta; videar etiam diligere vulgariter, quem certe amo in ſingularem, & plane paternum modum. pręſtat quædam in totum omittere, quam non ſic efficere, vt debeas. illud amicitiæ quædam libertas defendit: hoc propius contemptum accedere videtur, & ſaltem non excuſat incuriam. habent Principes hāc conſuetudinem in gratia referenda, vt non poſſint mediocri officio eſſe cōtenti: aut plurimum donant, aut nihil. ſi amici meritum in præſentia explere non poſſunt, expectant cupide tempus, in quo poſſint; maluntq; ſpecimen obliuionis prębere, dum munifici appareant; quam ſtatim memores videri, ſi ieiuni & illiberales. Iuuat me in anguſta fortuna deliciari, & hanc ſaltem

imitari vmbram principatus, Seraphine. diſtuli donare amico magno paruũ libellum & ſuſtinui hanc non inuitus ſuſpicionem incogitantiæ. nunc corrigo factum, & munuſculum illud ipſum dimidio auctius repono; cũ ſchedula teſte amoris, quam ſcio tibi fore omni munere cariorem. Et ſi enim numquam dubitaſti, & hodie vt cum minime dubitas de mea erga te volũtate; tamẽ cõſignata fidelibus litteris expreſſio te (vt ſenſi) magis delectat. quo ſcilicet modo parum certa empti ruris poſſeſſio videtur, quandiu ſtipulatione facta, in tabulas publicas referatur. Vale.

Cyriaco Roccio. 40.

INtermiſimus dies pluſculos cõgreſſum atq; colloquium latinum noſtrum. comœdiæ, ludi, conuiuia, vno verbo feriç geniales curſum ſtudiorum noſtrorum interruperunt, & Bacchum Muſæ breuem ſodalem non recuſarunt. quo nunc exploſo, redeundum nobis cenſeo, Clariſsime Adoleſcens, ad priſtinam loquendi & ſcribendi exercitationem: ita tamen vt Iuriſprudentiæ ancilletur Humanitas, & Aſtræa Suadam non hercle comitem adſciſcat, ſed pediſſequam. par dierum ex tota hebdomada ſatis fore nobis antea cenſuimus; & nunc vide quam oportune imitetur neceſſitas prudentiam. Ex diebus ſeptenis duo tantum mei ſunt, primus & medius, ille feſtus ad pietatem, hic profeſtus ad remiſsionem animi

animi conceſsus. vtriuſque perbonam partem tibi deſtinaui . nec aut pietatis officium deſeram, ſi te docuero, aut minus animum remittam, ſi tecum ero. Vale.

Adiunctam ſchedulæ longam Orationem cum Galera communices velim: poterit breuior, & fortaſſe iucundior videri, ſi partiatur in duos.

Claudio Cauacepio. 41.

AVDISTI lepidum factum? ſub initium menſis Auguſti ægrotabat Reuerendiſs. P. Thadæus tam periculoſe, vt medici omnes de ſalute hominis deſperaſſent. Anſelmus Seruita theologus, & Orator non indiſertus, feſtinauit componere Laudationem, quam paulo poſt (vt credebat) in demortui exequijs recitaret. Ecce tibi pauculis poſt diebus, improuiſo laterum dolore decubuit Anſelmus. nemo illi ſuſpicatus eſt mortis periculum impendere. nam nec grauiſsime torquebatur, & comiter domeſticos excipiebat, appellabat, monebat: vt quidam ad nos retulerunt, etiam murmurabat Laudationem. ſed vix tertius exijt dies, cum ille obijt extremum ſuum, & opus habuit laudatore, qui alium fuerat laudaturus. Contra Thadæus reualuit, ac ſimul audiuit de Oratione ſibi parata, & Oratore mox mortuo; voluit referre amico meritam gratiam, cœpitq; meditari laudationem, qua ornaret laudatorem ſuum. confecerit autem, an tan-

tummodo inchoauerit, neſcio. miniſter a cubiculo affirmat, alij negant. hoc palam eſt, quod frater Auguſtinianus Thadęo perfamiliaris, laudauit Anſelmum. vno biduo, nihil amplius aſſumpto ad meditandum, ad ediſcendum. Ac ſi ratio habeatur profeſſionis, materiæ, celeritatis, non pauciores Oratio laudes meretur, quam impertit. Decumbit iterum Thadæus: & iam nulla cum ſpe ſalutis trahebat animam, cum Theologi quidam ex illa familia, mei peramantes, in his etiam monaſterij Præfectus ad me adierunt rogãtes, vt hanc ſuſciperem prouinciam habendę Laudationis pro Reuerendiſsimo, & optimo Patre, qui nunc haud dubie migrabat ad plures. Ego ſub illos dies parum commoda vſus valetudine, non dum plane me confirmaueram: deceſſerat Excellentiſſimus Marchio Aſcanius Corneus, quem non laudaueram, cauſatus morbum: inſtabat prætcrea dicatus dies B. Bernardo Præſidi; & ſcis meas vigilias ad illa feſta. Produxi has cauſas, & me ſubduxi. Sed Innocentio Theologo, fraterna mecum neceſſitudine coniuncto, cum me inſtantius rogaret, hoc inſuper ad aurem inſuſurraui, Ominoſum ac periculi plenum eſſe munus, quod iniungerent documento eſſe caſum Anſelmi. vereri me, dum eo in Thadæi laudes, ne ille rurſus in meas: malam gratiam impendere Oratori, ſi quoniam celebret mortuum, moriatur. Odi, inquam, præproperum remuneratorem, qui prius gratiam refert, quam

beneficium

beneficium acceperit: nec me iuuat ſerum ſolatium, ſi me poſt-laudet, quem ego ante debuerim, & non potuerim. emant alij, ſi velint, hoc pretio laudationes. ego tam ambitioſus non ſum, vt malim me ab alijs, quam a me alios laudari. Quid quæris? viſus ſum vera loqui: contra hiſcere homo mihi tam neceſſarius non ſuſtinuit. Quare Anſelmo bene precabar, cuius patrum felix euentus firmum telum mihi præbuerat, & hanc victoriã ſua clade confecerat.

Sed ad extremum quibus armis viri amiciſſimi preces repuleram, his ab eodem ſum reuictus, coactuſque in liberum victoris arbitrium. Iam, inquit, Thadæus migrauit e vita: malum Oratori omen nullum imminet: confice nobis Laudationem, quam diuulgemus. en vitæ breuiarium per eos collectum, qui affuerunt, qui viderunt. debes hoc libentius, quia te tantum labor manet dictandi, me ſcribendi, neutrum dicendi. Ne multa, dictaui, excepit, vulgatur. vereor de illa iudicium eruditorum, qui hoc forſitan ignorabunt. & te propterea ſcire volui, Cauacepi humaniſsime, vt haberes in promptu gladium & clypeum, ſi quis, ſi quid, Vale.

M.Ant.Bonciario Erycius Puteanus. *Peruſiam*. 42.

LAconiſmi Encomium ad te mitto, tamquam iudicem, vt pronuncies, tandem

an culpam merear. Paucarum horarum, non enim dicam dierum, ſcriptum eſt: & feſtinatio iſta ſiue ad augendam laudem, ſiue culpam declinandam faciet. Expectabam a clariſsimo Maſsinio Neſcio quid tui: nihil etiam vidi. Spem litteræ tuę fecerant, deſideriumq; meum accenderant, quas ante menſes aliquot accepi. Vale, meq; tuarum lucubrationum auidiſsimum puta. Mediolano, Kalendis Febr. ∞ IↃC. VI.

Erycio Puteano.
Mediolanum. 43.

AD me tu iudicem Laconiſmi? reduc calculum Puteane. Quid? non dixit Maſſinius, qui me audiuit; non dixit Saccus, qui me legit; denique non mea opuſcula tibi dixerunt, & hęc iam dicit epiſtola, me a contrario ſtare? Tamen o uim mirabilem eloquentiæ tuæ! cogor tibi aſſentiri volens nolens. & vim eſſe perſuaſionis in idonea breuitate, nō deinceps mea verba melius docebunt, quam nunc docet exemplum.

Dolebam, quod non fui tempori, vt darem Maſsinio ad te, quod epiſtola promiſerat.nūc gaudeo, & redeo cum fortuna in gratiam. cuius temeritas prudentiæ ſpeciem habuit, ſi me ideo fefellit, ne te obtunderem nugis. At tu pergis nihilominus, & meorum ſcriptorum tibi copiam fieri iubes. credo vt di-

ſcrimen

Digitized by Google

ſcrimen, ideſt Venerem Suadamq; peruideas tuorum.nec enim recedit quiſquam a tuo genere,hoc eſt ab optimo, longius.
Erant alia, quæ ſcriberem. ſed dicam tibi: non dum ſcio illud, neq; poſſum, Paucis multa. & vereor tecum ſcripto agere verboſius, ne non videar imitari velle, quod laudo; & refellat longa epiſtola teſtimonium meum. Vale.

Io: Baptiſtæ Sacco:
Mediolanum. 44.

QVANTVM tibi debeam, Sacce humaniſſime,ob amorem quem reddis, ob epiſtolam quam remittis, illum parem, hanc ſuperiorē; alius mihi ad teſtandum dabitur locus. hic ſatis habeam profiteri, me totum in ęre tuo eſſe, ac gratulari ex animo meis Opuſculis, quæ negotiatorum modo in Inſubriam delata, quęſtum mihi tam optatum, atque tam vberem retulerunt. Legi Encomium breuitatis, quod proxime Puteanus confecit, & ad nos miſit. legerunt pariter viri eruditiſsimi,quibus cetera Puteani (quod libere illum monui rogatus) haud ita multum placebant. hi hoc opuſculum ad Cælum ferunt, & vnum Encomium multis afficiunt encomijs;vno verbo cēſurę omnes ſubſcribūt tuę. mihi (verum vt fatear) Puteani omnia ſemper placuere. varia eruditio, linguarum ſcien

Digitized by Google

tia, ingenium acre, & uis naturæ ingens in illo ſe oſtendebat, plus tamen promittens, & propediem perfectius aliquid datura. in hoc certe (iuxta tecum ſentio Sacce) ſe ipſum vicit Puteanus. me non ſolum capit tenetque, ſed ad ſe allicit, & ſtantem pro altera parte videtur cogere ad defectionem. Clamant viri docti, ſe agnoſcere diſcipulum magni Lipſij & noſtro ſeculo gratulantur, quod illo etiam extincto (qui vtinam diu viuat, diu vigeat) Lipſium tamen deſideraturi non ſimus. Sed noſtra pręcipue Italia, & veſtra magis præcipue clariſsima Ciuitas lætari habet, quod felix planta ex Belgico illo Seminario, in hoc mundi pomarium, & in iſtam pomarij oram tranſlata, fructus ferat inſignes, plurimos, perennes. Et heus tu? amas videre aliquid diſsimillimum? lege his iunctam litteris Orationem, quam ego tantum d ctaui, Auguſtinianus Frater excepit, ſuo nomine habiturus. negabis potuiſſe quicquam fieri minus Laconicum, minus Atticum; & leges tamen (vt ſpero) poſt Puteanam non inuitus. Sic reficitur oculus a ſplendore nimis illuſtri ſub dēſis tenebris, & fercula ſubamara caſtigant nō illepide exultantēm ſuauitatem. Vale.

Aloyſio & Ludouico Gallis. 45.

Riſiſtis heri, quod cum me in via perhumaniter ſalutaſſetis, ego vos non, vt ſoleo, ſimpliciter Dominos, aut illuſtres Dominos,

nos reſalutaui; ſed adieci Reuerendiſsimos. Accipite cauſam, & τὰ μοὶ ἐυαγγέλια remittite. Diuinaui nouus Tireſias, vt me appellare ſoliti eſtis; vos propediem cooptandos in numerum Iuriſprudentium, & mox fore in Romana curia tales. Miramini cæcum prædicere futura? & in longinquum porrigere aciē, qui ſic hebeſcat in proximis? Non eſt mirandum, neq; nouum. caligo exterior lumen acuit interius: quod hic adimitur, illic reponitur: & cæcus proſpicit in liquida luce, quod in turbido alij non poſſunt. Parco exequi cetera, ne quid forte odij contraham apud ſocietatem, ſi noſtræ ſortis arcana recluſerim. Vos interim rogo, vt hos Auximum libellos mittatis ad fratres veſtros, qui a me frequentibus litteris, & inſtantibus nuncijs iam diu flagitant. Cupio illuc deferri quam primum, ne progreſſum remoremur illorum, & corrigat celeritas veſtra cunctationem meam. Valete.

Alexandro Gallo.
Auximum. 46.

NON reſcripſi ad hanc diem feſtiuis atq; elegantibus litteris ex Vrbe a te datis; quia mittendi facultas non fuit, quod cupiebas, & remittere inanes litteras ad puerum, tam mei amantem, quam virtutis colentem, non audebam. Erat hic ſub prælo Grammaticus, quem nunc mittimus recuſum, acceſſio-

Digitized by Google

ne, vt videbis, non pœnitenda. quo eſt æquius, te ignoſcere tarditati, nec agnoſcere breuitatem. Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Patruo Cardinali proſperum rerum omnium euẽtum precor. Te cupio cum fratribus & Magiſtro bene valere, feliciter diſcere.

Dominico Tempeſtæ
Camerinum. 47.

HABES Funebrem Laudationem, quam proximis ad te litteris ſum pollicitus. fac nos inuicem habeamus poëmata, & emblemata, quibus aduentum noui Antiſtitis, fama nunciat, a vobis fuiſſe celebratum. noſtra forſitan videbitur condicio melior in permutando, ſi damus triſtia, ſumimus læta & feſta. ſed non eſt ita. quanto enim hilarius atq; feſtiuius eſt donum veſtrum, tanto eſt noſtrum tempori conuenientius. Noſti autem duplicari pretium muneris, ſi loco fuerit datum; & quantum omnibus in rebus momenti habeat τό πρέπον. Quod ſi numerum foliorum, & multitudinem verſuum inſpicere libet: neſcio equidem, quam multa vobi in illum diem Muſæ Camertes laborauerint: hoc ſcio, meam Orationem, ſi ex mole cenſeatur, vicem duarum poſſe implere. quod ſi ex merito æſtimetur, non negauerim paucis diſtichis facile eſſe conceſſuram. Sed ego neceſſitudini noſtre iniuriam facio, qui mutua munera ſic voco ad

calculos

Digitized by Google

calculos, quaſi putem vænalia eſſe officia inter amicos, & dari non amori, ſed fœnori. Vale.

M.Antonio Synæſio, *Peruſiam*. 48.

ARridet hic titulus nunc mihi-Exameron ſiue illuſtriũ Exemplorum libri an Decades? duodecim. Ad hæc dubitaui iam diu, nec dum ſatis explicatum habeo, perpetuum ne Dialogum conſcribam, vt olim Cæſarius, & altero poſt ſeculo Boccaccius,& proxime Lilius Giraldus fecerunt; an potius nuda exponam exempla,vel in aceruum nullo ordine cõgeſta, vel in communes locos digeſta, vt ſiue Speculum,ſiue Pomariũ exemplorum,ſiue alia.

Cur nollem Dialogum, hæ propemodum rationes fuere. Primum ſcribendi libertas, atq; facilitas congerendi; nec enim neceſſe habeam hiſtorias alteram alteri agglutinare; ac vel inchoato ſermoni, vel perſonis loquentibus ſemper dicere conſentanea. id quod expertus iam ſum,afferre ſcribentibus non mediocrem difficultatem. Deinde (quod me magis mouet) ingreſſio illa in nouum ſermonem, & diſputatio poſt ſermonem, & deniq; additamenta omnia præter ſermonem; non fere leguntur a plurimis, dum vnuſquiſq;feſtinat ad fabulam, & ea concluſa, librum cludit. Boccaccius ipſe qualis quantuſq; ſcriptor! tamen raro a nobis impetrat, vt filum

Digitized by Google

ipsũ ſermonis cognoſcere ac tenere velimus: Mitologi alij rarius, a me numquam. Itaq; valde in hanc partem propendebam, vt Dialogo abſtinerem, ſimplici exemplorum narratione contentus. nam cuius demum arrogantiæ fuiſſet optare, vt alij mea illa perlegerent, cum ego aliena non tangerem?

Altera ex parte ſi ſtatim, nulla præfatione facta, veniretur ad exempli explicationem, & eo decurſo, ſtatim ad aliud tranſiretur; duo mihi exiſtere incommoda videbantur. primũ enim narratio ipſa, ſine ſaltem exiguo exordio, minus voluptatis habitura eſt, vt certamen ſine proludio, prandium ſine ientaculo, cena ſine acetario. Deinde finis etiam Exempli, quod maxime ad virtutis imitationem, & vitij deteſtationem dirigitur; in pleriſque vacillans apparebit, & minime idoneus ad lectorum animos permouendos, niſi a mutua diſputatione firmitudinem & robur capiat. Erit nempe (vt non deſeram imagines ſupra memoratas) conuiuium ſine placenta, conflictus aut prœlium ſine victoria. Huc accedit, quod Dialogus facultatem prębet gratificandi nobilibus amicis & dynaſtis, quos inducere poſſum narrantes, atque inuicem diſſerentes. quod ſi eſſet in nobis quoque aliquid ſimile Themiſtoclis, qui ſplendore ſuo locum antea ignobilem reddere potuit clariſsimum; hoc inſuper adijcerem, fore mihi perbellam occaſionem illuſtrandę patriæ, vel opiduli alicuius intra patriam. vt olim Cicero ſuum extulit Tuſculanum, & Aſolos noſter Bembus,

& alij

& alij alia. Mihi iam nunc loca quædam in mentem veniunt, huic negotio (ſicuti mihi quidem videntur) perappoſita, de quibus poſtea ſcribam ad te, cum conſtituero de ſcribendi ratione, quid mihi agendum ſit. in præſentia certe libens pendeo in hanc partem, vt perpetuum inſtituam dialogum, qui ſex ſeptẽ diebus abſoluatur, habeatq; ad numerum dierum diſtinctas decadas. Vnus inter ſcribendum, quaſi ſcopulus obijcitur, qui haud dubie difficilis eſt ad cauendum, ſatietas vel legentium, vel audientium. quare ſum in eo potiſsimum occupatus, vt placendi, ac non placendi cauſas ponderem, tendamq; nouas ſemper inſidias auribus oculiſque. coram tecum de iſtis communicabo: per litteras palam non expedit, quia hę, ſi forſitan in aliorũ manus inciderent (vt ſæpe non tantum incidunt, ſed vadunt, te auctore, quas identidem ad te vnum mittimus) nouum hoc delectandi artificium proderent, & nos fruſtra volucres animos captaremus, aucupio vulgato. Vale, ex Oppido Antria.

Sebaſtiano Maccio.
Piſaurum. 49.

DVOS adoleſcentes vna epiſtola mihi cõmendas, Franciſcum Comitem Santinellum, & Gaſparem Mazzam Piſaurenſes, qui tua imbuti diſciplina, nunc te potiſsimum hortante, tranſducuntur ad meam. illos ego

Digitized by Google

admodum libenter excepi, quia ſic ſoleo omnes; at non paullo libentius, quia explorando, egregia prędítos indole animaduerti; libẽtiſſime autem, quia & alumnos tuos, & filios amicorum tuorum. quę cum poſuerim, non neceſſe habeo ſimul ponere, quod conſequitur ſua ſponte, hoc eſt primum me tibi plurimum debere, quod arbuſculas virentes, & iam florere incipientes ex tuo pomario trãſtuleris in meum; deinde daturum me omnẽ operam, vt tu pariter tuiq; in tempore aliquã mihi gratiam debeatis, quod coluerim ſtrenue, amanter, diligenter; & ideo fortaſſe feliciter. Non eo dico, quia cultorem cultori, & agrum agro anteponam. quæ nec confero quidem: ſed quia locus loco anteſtare, ac precellere videtur. Eſt enim noſter hortus, vt videtis natura & opere munitior, ſeptus vndique fortibus præſidijs, & fideli canum cuſtodia defenſus. Non nos furum auaras manus, aut ſubitos ferarum incurſus timemus. ſecuri virium externarum curamus interna, & toti occupamur in opere faciundo. ex quo fit, vt nobis fere conſtet ratio laborum noſtrorum, & ſpem fructuum rara ſterilitas fallat, non rara vincat vbertas. Et ſane mi Macci, ó quantum intereſt nobilium puerorum educari non domi in oculis parentum, ſed in ſcholis apud fideles, & eruditos, & prudentes magiſtros! multi haud dubie nequam, ſtolidi, ac pecudes futuri, per modeſtam hanc diſciplinam ſtrenue coerciti & directi, frugales euadunt, & mature tranſcribuntur in viros. Veſtræ sũt,

o amici

Digitized by Google

o amici, adulationum ſimillimæ laudationes, cum hoc probare contenditis, qui progreſſus iam annos quindecim in Collegio eſt factus, atque adeo fit continenter; eum eruditioni, ſolertiæ ac ſtudio meo totum eſſe tribuendum. nam mihi credite, huius gloriæ maiorem par tem vindicat ſibi moderatio regentium, cura Pręfectorum, & hæc diſciplinæ ratio qua ſeuerior, qua indulgentior, ſemper beneuola, & liberalis, & paterna. denique adiuuant laborem noſtrum muri, clauſtra, ſerę, peſſuli, cubicula: ne ferulas dicam atque acres obiurgationes, quæ ſunt ſcholarum communia omnium, & fere in illuſtribus pueris locum non habent. Habes plura, quam negotium forſitan requirebat, certe quam exigebat. Sed ego cũ de pueris a te miſſis aliud ſcribere nihil poſsẽ, ingenio non dum planius explorato; per dulcedinem tecum loquendi, prolapſus in hunc locum imprudens ſum. Vale.

Andreæ Moricono Proepiſcopo. 50.

QVOD heri veſperi, cum vna eſſemus in conuentu illuſtrium virorum, Camillo meo ad aurem inſuſurraſti, cupere te, vt Abbatem Gallum Epiſtolis meis donarem, & te illi daturum, ſi ego tibi: non facile crederes vir humaniſsime, quam optatum, quamq; opportunum id mihi obuenerit. Volebam nãq; iſtuc ipſum mea ſponte multas ob cauſas: in eis, vt memorem me præſtarem non vulgariũ officiorum,

officiorum, quæ ab huius Illuſtriſſimo Patruo accepiſſem, quamdiu pręfuit Eccleſiæ Peruſinæ. dolebam autem, quod qui aditum mihi aperiret, & quodammodo cæcum introduceret, non habebam. nec poterat mihi contingere dux certior, fidelior, honeſtior, quam Moriconus. Age vero, qui ſponte defers tuam operam ad talia officia, ne graueris donare alterum Abbatem altero exemplari, quod cum hac ſchedula tibi reddetur, ſubſcriptum cui mittitur, Horatio Mancino. Facies hoc atque illud perlibenter. alterum ex debito, quia ſpopondiſti; alterũ ex gratia, quia te rogo: ſed vtrumque multo libentius, quia me amas. Vale.

Digitized by Google

TYPHOGRAPHVS LECTORI S.

SERO admodum amici me monuerunt, Lector elegans & erudite, futurum tibi vehementer gratum, ſi pluſculas in hunc libellum epiſtolas conijcerem, præmitteremq; ad iudicia exploranda vnam ſalt em Centuriam,& eam(ſicubi opus foret) itineri paratam & pugnæ. Sed vnum erat noſtris votis maxime aduerſum, quod dux ipſe cum litterario exercitu mox ſecuturus, tantam nunc copiarum diminutionem non ferebat. rogauimus,obſecrauimus,& ad extremũ nõ dico impetrauimus, ſed extorſimus:hoc identidem minati, quod ſane impendebat, nequi militum recentium ab eo deficerent, & ſub alio Duce ſtipendia mererent. ſciebam enim pleroſque ſollicitari, & iam ſcribi. miraberis qualem hic habuerim delectum, nulla ordinum, nulla temporum ratione ſeruata. Sed ego inſolens homo prœliandi, vt quiſq; occurrebat, ſic primum, medium, extremum in acie locaui. ſuam cuique dignitatem,& ſuum locum poſt reſtituet Imperator. Tu valeto.

M.Ant.

Digitized by Google

M. Ant. Bonciarius
P. Valentino Mangionio ſuo S. 51.

AVguſti recentes typographi ſuum abſoluere Vrſum, & foras darę cum poetis aliquot noſtratibus noluerunt, me aſymbolo. Quare hoc ſimul effudi, ſimul obtuli cantiuncularum. in quibus ſi quid luſerim inſolentius, debes ignoſcere. Canebam ferijs Martinalibus, & me Vrſus ceperat, an ego illum? feria quædam & nimis ſeuera Spiritus dictauerat, quæ prudens omiſi. nunc ea tibi per litteras repręſento. ceteri non prius legent, quam tu probaueris, & edundi auctor fueris. Mihi crede, paratus ſum non abſtinere ab infantibus manum: & idem ſuffocabo, qui peperi, ſi forte victuri honeſte non ſunt. Vale.

Coſmo Syrio.
Bononiam. 52.

ET lepidum epigramma, quod iam dudum mihi a te reddidit Palearius; & venuſta epiſtola, quam nunc attulit legitque noſter Brunettus, quanta me voluptate affecerunt, tanta etiam ſpe implent progreſſus ac celeritatis tuæ in vtraque ſcribendi facultate. nec ſane arbitror fore, vt fallat opinionem meam tam alta indoles, tam acre ſtudium, tanta commoditas. Te felicem! in quo eſt reperire

rire coniuncta, quæ in pleriſq; natura vel fortuna diſſociant. Ardet mihi animus te hortari, vt conſtanter pergas: ſed extinguit rationis quaſi vnda igneam cupidinem. vereor ne faciam tibi aliquam iniuriam, ſi ex ſuperuacuo, ideſt importune vrgeam te, qui ſic curris tua ſponte. vereor etiam, ne non nimium me amet amabiliſsimus Titius, ſi hoc facere audeam. Satis enim ad te incitandum valere debet tanti viri congreſſus, diſciplina, exemplũ. Venio igitur ad verſiculos tuos, qui certe ſuaues ſunt & vrbani. vtinam ſic illi verũ dicerent, vt eleganter ac polite loquuntur. Nam quid obſecro in mentem venit tibi, comparare me cum optimo & vetuſtiſsimo poëtarum? qui cum ſcire habes nihil eorum commune nobis eſſe, quæ vellem, vt ingenium excellens, vt diſciplinarum inſignem varietatẽ, vt diuinam illam mentem, atque os magna ſonaturum: duo autem eſſe, quæ nollem, ideſt cæcitatem & paupertatem. In vno crediderim me illi concedere nõ oportere, quod ęque tranquillus atq; hilaris ſum. in vno vincam fortaſſe, quod non ero tam ſtolidus, niſi fauens a me aberit Genius, vt ſic ruam inglorius ad mortem. Vos viuite & Valete. Peruſiæ IV. Id. Decembris M.D.C V.

Illu-

Illuſtriſsimo S. R. E. Cardinali B. Beuilaquę Legato.

Romam. 53.

QVOD iam dudum pollicitus tibi ſum, me ad Lipſium eſſe ſcripturum, feci. reſcri pſit: en litterę, primum meæ ad illum, deinde illius ad te, illius ad me. Cum legeris, obſecro Humaniſsime Princeps, vt harum binas ad me ſtatim remittas, ideſt Lipſianas meas, & exemplar tuarum. Miſiſſem vna meam Seraphida, quæ nunc prodijt in lucem. ſed viſum eſt chartaceum pondus grandiuſculum, quam vt eiſdem recte daretur publicis vectoribus litterarum. expectabo dandi occaſionem meliorem: hoc interim Cœlites precatus, vt Domini Redemptoris Ferię Natales, cum propinquo anni primordio, feliciter tibi decurrant; bonæ auſpices conſequentium ęque felicium, longe multarum. Peruſiæ III. Id. Decembris. M. D. C. V.

Eidem. *Romam.* 54.

VIX putabam ab Illuſtriſsimo Pio redditum tibi eſſe faſciculum litterarum mearum, cum ecce a te video redeuntem, ſed grandiorem atque ornatiorem, adiunctis tuis, quæ ad Lipſiũ, quæ ad me. Hoc quoq; accidit opportune, quod ſtatim facultas fuit mittendi per Riccios, expertæ fidei mercatores, mox

ituros

ituros Antuerpiam . vnde breuior ac certior Louanium traiectus datur, quam per publicos tabellarios, quorum memini Lipſium culpare ſæpius fidem, ſemper incuriam. Ego numquam credere ſoleo, niſi exploratis, niſi amicis. Ceterum, mi Patrone Ampliſſime, legentem tuas duplex me affectus inuaſit, voluptatis & admirationis. voluptati erat non noui amoris noua expreſsio, & noua teſtificatio, præſertim apud eum, quem tu magnifico, ſed non falſo præconio principem vocas elegantiarum & artium meliorum, inter præcipua huius ſæculi ornamenta numerandum. contra fuit mihi admirationi (da veniam con fitenti; & ſilentium impera, ſi quid ſtolide aut inſolenter) dico me fuiſſe vehementer miratum, at non vehementer delectatum elegan tia litterarum tuarum. cognoſce vtriuſq; rei breuem & veram cauſam. Nota iam pridẽ fuerat mihi ſingularis & rara eruditio tua, nõ modo artium maximarum, quam fama celebrat, & exempla confirmant; ſed huius etiã diſciplinę humanioris, quam ex frequenti congreſſu, & mutuis ſermonibus facile perſpexeram. Sed tamen in ſcribẽdo eundem leporem, eaſdem veneres, eamdem efficacitatem, & vim ineſſe tibi non ſuſpicabar. noui ego ſtudia Principum, ac diuitum nõ nullorum. Platonem, Philonem, Senecam, Plutarchum, T. Liuium, & in primis Cornelium Tacitum frequenter in manibus habent; nec eſt fere in illorum ſcriptis vlla ſententia paulo grauior, vel concinnior, vel argutior, quam non ſelegerint,

atq;

Digitized by Google

atq; in commentarios retulerint : multi ad vtendum,plures ad diſſerendum inſerendumq; colloquijs familiaribus. ceterum ſi hos roges, vt latine ſcribant aliquid, non diſsimile auctoribus, quos ſemper legunt; hoc vero fatentur ſibi eſſe difficillimum,nec ferme in vllo genere faciunt litteram. Quo maiore non ſolum prædicatione, ſed etiam admiratione aſfici par eſt, qui vtramq; amplexi ſunt facultatem, & optime cogitata, ſicut quædam mentis idola, æqualiter lingua deſignant, & calamo depingunt. Horum fortaſſe alij ſunt,quorum ego ſcripta non legi: ex his tamen quæ legi, vnum non deſino mirari, Principem longe Clariſsimum, hominemq; (vt fama fert) humaniſsimum.Cardinalem Columnam. cuius Orationes, epiſtolę, diſſertationes (vt humiliter dicã)proxime ad antiquorum gratiam nitoremq; accedere mihi videntur. nunc Pios pariter & Beuilaquas adiungam licet. quorum latialis ſermo, & ſcribendi elegantia me maiorem in modum afficit. Sed cur etiam non delectat? Quia nimirum intercipit laudem noſtram, & ſpes reddit in poſterum vaniores : noſtram dico omnium,qui profitemur Humanitatem, & iure vindicamus hanc gloriam. quibus non video, ecquis iam locus eſſe apud vos poſsit, ſi artem noſtram ſic ipſi excolitis, & ſic tenetis, vt neq; ad ſcribendum, neque ad iudicandum egere noſtra opera videamini. Cum fructu pereunte, ſaucia cadit ambitio. Quid enim nobis relinquitur, in quo emineat ingenium noſtrum, ſi fundere litteras, ſi ſtrin

gere

Digitized by Google

gere carmen, ſi ornare Orationem tam ſcitis Principes, de quibus ea fiunt, quam noſmet clientes, profitentes? Olim regnante Auguſto: Sed tenebo præcipitem calamum, materia blandiente, plus ſibi permiſſurum, quam tua, non dicam magnitudo, quam ſummittit humanitas; ſed occupatio patiatur. Rogo Superos, vt hæc etiam fiat remiſsior, tu validior per Dominicam Natiuitatem, cuius hodie colimus antevigilium. Peruſiæ.

Cæſari Baronio S. R. E. Cardinali amplíſsimo. *Romam*. 55.

EXcidiſſe ſuſpicor tibi, neq; miror in tanto cumulo ingruentium occupationum, quod menſe proximo ſuperiore Præſes Comitolus meo nomine coram egerat tecum,& cum P.Pico Dominicano, de indulgenda mihi facultate librorum Eraſmi legendorum. Cauſa erat, quam ſcripſi tunc ad Comitolum, ſuſcepta multorum rogatu a me prouincia, inſectandi laſciuos verſificatores, & vindicandi (quantulum meæ vires ferrent) a turpitudine abutentium piam artem, & cœleſte inuentum, Poëſim. Laudari abs te audio noſtrum conatum, & accedere iudicia Principum tui ſimilium, hoc eſt non tantum dignationis, ſed etiam eruditionis & ſapientiæ. Vtinam ſic propediem comprobare poſſitis euentum. Litteras ad Comitolum meas Picus ſibi retinuit

nuit memoriæ cauſa, vt dicebat. Quo fui breuior, & in negotio exponendo, quod epiſtola narrat; & in re flagitanda, quam Epiſcopus rogat. Deum potius obſecrabo; vt quem hodie ingredimur, feliciter tibi decurrat annus ſextus ſupra milleſimum ſexcenteſimum. Peruſiæ.

Bartholomeço Florauantio. 56.

NON dubie octies nouies miſi ad te pueros cum Volumine mearum Epiſtolarum, quod donatum tibi volebam. ſed vel ipſi domum tuam non nouerunt, vel tu alio eras profectus, vel quid ego aliud ſuſpicer, neſcio. tu certe numquam domi, numquam alibi repertus meis. quod magis miror, hiſce plus ſeptem menſibus, nec ſemel quidem accidit, quod antea frequenter ſolebat, vt offenderemus per Vrbem alter alterum. Itaq; (confitebor ingenue quod eſt factum) refrixerat ille ardor quærendi, & non obliuio tui me, ſed officij mei deſes quidam torpor inuaſerat: cogitatio quoque in dies fiebat, ſpatio laxante, remiſſior. Excuſſit hunc veternum, & ſuſcitauit veterem tui memoriam hic nouus fœtus, quo die fuit editus in lucem: mihique viſus eſt polliceri, ſi ad te mitteretur, facile impetraturum, vt acciperes ſatiſfactionem meam. Miſi ergo non veteres epiſtolas, quarum nec plura exemplaria mihi ſuperſunt

Digitized by Google

perſunt, & obſoleuiſſe iam videntur; ſed nouam Seraphida, neſcio an minus elegantem, & minus iucundam; hoc ſcio piam, & ideo fortaſſe nec iniucundam tibi futuram. Duo dedi exemplaria, vt alterum, quæ ſe prima offerret facultas, Bononiam mitteres ad Titium, aut quempiam amicorum. Miraberis, credo audaciam & impudentiam meam, qui quo tempore veniam petere habeo, nouum tibi onus imponam. fortaſſis etiam dicturus es, non fuiſſe opus tibi hac renouatione memoriæ tui meæ; cum videatur ideo eſſe recordata, non vt tibi aliquid commodaret, ſed vt negotium exhiberet. Verum quid ego aduerſum me has intendo nebulas ſuſpicionum, quas continuo excitati amoris, aut ventus fugabit, aut flamma conſumet? Vale.

Auguſtino Angelello.
Fabrianum. 57.

EXclamare libet cum Manutio tuo, MONSTRI ſimile! Angelellus non reſpondet. Mihi vero, quod ferre olim non poteram, nunc optabile prope accidit ſilentium tuum. nempe vt, te ceſſante, poſſim æquare numerum epiſtolarum, quibus vincebat diligentia tua pigritiam meam. Vt ſi ligneis orbibus luderemus: neſcio an penes vos eiuſmodi frequentetur ludus; nos pilamalleũ appellamus,

eoq;

eoq; potiſſimum viri nobiles exercentur. fac igitur ludendo præiſſe te tanto interuallo, vt ego vix tertio aut quarto iactu conſequi poſſim; an mihi prǫoptandum non eſt, pilam tuam iniquum in locum cadere, vnde non prius amoliare, quam ego antecurrerim? Inepta, inquies, ſimilitudo a ludis laborioſis, mihi ſeneſcenti, tibi non videnti: cape alteram vtriq; aptam de conuiuio. quã ſi forte minus intelliges, Don Sanctius te docebit, qui me ſemper hoc ludo vincit. Si ergo grandibus poculis certaremus apud Priorem Sanctacrucium, egoque tibi non reſiſterem ſtrenue bibenti: hoſpes ipſe magnam a me gratiam iniret, ſi tale ferculum tibi apponeret ad veſcendum, quod te bibendi oblitum, ſua dulcedine detineret; vſque adeo dum paribus cyathis æquo marte dimicaremus, vel potius ęquo Libero potaremus. Hucuſque igitur non fero admodum moleſte ſilentium tuum, quia mihi occaſionem præbuit, tecum paria faciendi. poſthac autem ſi rogauero, vt priſtinam ſcribendi conſuetudinem reſumas; iniuriam faciam amori noſtro, & conſtantiæ tuæ. nam vt parem me ferre poſſis, certe non potes ſuperiorem.

Anſidæus quaternis litteris a me appellatus, & tuo nomine ſalutatus vnam hodie ſchedulam remittit, cauſatus extraordinariam occupationem coram Principe diſſerendi, & propinquos publicorum laborum dies. in ea tamen officioſſime te raſalutat. Etiam a Synæſio ſalue, qui tecum nuper fuit, iuratq; te viſum

ſum ſibi reiuueneſcere, ſic, vt minor nunc natu videaris, quam ſeptennio ante viſus fuiſſes, cum Perusiæ vna fuimus. ſi perrexeris excurſum iter relegere, in me incides venientem, & hoc etiam vitæ ſtadium æquis paſſibus metiemur, Vale.

Franciſco Vibio ruſticanti. 58.

QVID iſtuc eſt, Vibi humaniſſime, quod ſcribis? Peto, inquis, veniam, & eam duplicem, quia duplex fuit culpa: peccaui ſemel, cum miſi perdices ſine litteris; pecco iterum, quia litteras ſine perdicibus. at tu duplicem meritus es gratiam, imo triplicem; os, aures, animum terna voluptate demulcens. Atque vt totum munus iucunda varietate condires, miſiſti aues peregrinas, litteras romanas, carmen etruſcum. Quæ quidem fuerunt mihi ſingula iucunda, ſed litteræ paullo iucundiores, carmen multo iucundiſsimum. Bene ſit tibi tã liberali atq; munifico in magnis copijs. Ac munerum quidem hodierna cum amicis communicabo, & de mea illorumq; ſententia ſcribam poſtea vberius, ſi vacabit: in primis autem de Oda, in qua multa me delectarunt, quæ tibi perpetua ſunt, ordo, acumẽ, lepor, elegantia: ſed vnum maxime affecit, quod adeo eſt mea, vt ſurripere illam, ac ſibi tribuere nemo poſſit, quin prius oculos, & manus, & pedes perdat. & ſi belliſſima eſt, caro illam tamen mercabitur, quiſquis inuidebit,

Digitized by Google

ſuam facere ſtudebit. Nam hoc in genere ſcis, Vibi, quam leue negotium ſit, alteri tradere, quod alteri feceris; capitem dumtaxat, imo (quod leuius eſt) nomine commutato. Atq; in his quidem, vt dixi, quę per aurem animus bibit, aliorum tibi potius iudicium exhibebo, quam meum. quod tamen in illis facere ſuperſedi, de quibus iudicat palatus; horum namq; ſatis ego locuples teſtis fui: aliorum tam nihil profuiſſet iudicium, quam aliquid nocuiſſet auxilium. Vale Peruſiæ.

Cæſari Criſpolto. 59.

BELLVM (an tumultum potius?) Salarium Peruſinum relegi hodie in octauo Annalium libro, quem nudiuſtertius ad me miſiſti. & vide inter legendum, quid mihi ad memoriam redierit. Auus meus, qui præſens interfuit, hoc non ſemel pro uiſo mihi narrauit, quod tu pariter narras, & re ipſa oſtendis fuiſſe compertum: Quo die Farneſius cum exercitu victore Peruſiam eſt ingreſſus, voluiſſe Alexandrum Vitellium, ſi quo modo poſſet, dare Vrbem militibus ad diripiendum. nec illum aut fides data per Hieronymum Vrſinum Rodulpho Balionio, aut Principis Farneſij minax interdictum mouebat, hominem prędandi auidum, & alioqui nobis infeſtum, quominus multas explendæ cupidinis ſuæ vias tentaret. harum tu aliquot colligis. adde hanc (ſi vide-

(ſi videbitur) teſtatam, probatam. Agreſtis fuit quidam a Valdecepio, vir omnibus flagitijs coopertus, & inſigniter crudelis (Cencium Cicalonem vulgo appellabant) cuius temeritatem atque audaciam, ratus Vitellius fore conſilio ſuo valde opportunam, donis primum inuitat, deinde promiſſis onerat, & ita rem cum illo componit: Quando, inquit, plenum erit armatis militibus forum, volo te in turba illa ſtrepituq; frementium, capere occaſionem altercandi cum aliquo, & diſtricto gladio inuadere prouocantem. mox mei milites conſequentur, & ad arma conclamabunt. ego ſimul adero cum delectis ad augēdũ tumultum, prædamq; auaris militibus oſtentādam. nec eſt dubium, quin multitudo ſpe lucri ſollicitata erigat ſtatim animos, diſcurratq; ad domos ciuiũ exhauriendas, in quibus nihil parati eſt ad reſiſtendum & uim arcendam. Res ſagaciter diſpoſita videbatur, eratq; in magnum malum eruptura, niſi præſens Dei auxilium preſto fuiſſet. cum enim Cencius Peruſinum Ciuem inter turbam rixando laceſſiſſet, atque in ſe concitaſſet, mox clamātem eiulantemq; pariter clamās eiulanſq; confodit. concurrere illo milites Vitelliani: accuſare magnis clamoribus ſuperbiam oppidanorum, & militis ſe defendentis egregium factum defendere, ac tollere palam laudibus: ſe demum arguere, quod non vltum irent inſolentes, rebelles. Haud dubie tumultus ad arma, & per hæc ad prædam ſpectare. Sed Hieronymus Vrſinus (ſeque-

ſter hic fuerat) Vitellianis conatibus in tẽpore obuiã venit, & multitudine primũ fortiter repreſſa, deinde humaniter cõpellata, naſcentem obruit ſeditionem. nec defuerunt ſibi Peruſina præſidia, quæ Rodulphus tale aliquid ſuſpicãs, opportunis in locis diſpoſuerat. Horum ſolertia & celeritate factum eſt, vt ſtatim Cencius caperetur, & permittente Farneſio, conniuente Vitellio, indicta cauſa, ſuſpenderetur e ferreis cratibus, quæ fontem in foro claudunt. Fama eſt, ſicarium illum, cum ad laqueũ duceretur, hoc palam eſſe gloriatum, nonaginta & nouem homines ab ſe trucidatos: & nunc dolere, quod centenarium non compleſſet, cęſo Vitellio. De ceteris coram agemus. Mitte interim reliqua, ſi habes ad manũ; & perge alacriter Patriã illuſtrare, quem Patria colit inter illuſtres. Vale.

Aſcanio Columnæ Cardinali, & Principi Ampliſsimo,
Romam. 60.

IAM diũ expecto, Columna Princeps Cardinalis, occaſionem aliquam tui appellandi, quę tegat in parte ambitionem meam. ſed ea quoniam non contingit, ſubſiduim ab audacia petendum putaui: et ingero me cæcũ, nemine ducente; obſcurum & ignobilem, nemine indicante aut præmonente. Hoc meum conſilium alius quiſpiam fortaſſe miretur, accuſetq; ruſticitatem. tu vero, arbitror, non potes, cum hęc talia neceſſum ſit obuenire tibi

creberrima

Digitized by Google

creberrima: dum alium inuitat animi excelſitas, digna Principe, alium eruditio ſuper Principem, ad obſeruantiam & cultum tui. vt ſenſum eiuſmodi ſi non penitus extinxerit, certe laſſauerit atque hebetem reliquerit conſuetudo. Magis adeo miraturum credidi te, quod ſero venerim,& nunc demum profitear, vetus philologiæ profeſſor,apud Principē omnium litterarum.Deuotionis & obſequij mei pignus eſto, quod cum his litteris accepiſti, Laudationem hominis excellentis,tibiq;(dum vixit)ſingulariter cari,vt nos illum non ſemel audiuimus gloriantem. Iuuat hęc ratio meum factum,& ſatis docet,fuiſſe mihi non inanem penitus cauſam tui ſalutandi,& irrependi modico aditu ad notitiam tuam.Cur non etiā dixerim ad clientelam & gratiam?licet vulgaris, licet inutilis. Nā Oeconomorū iſta cautio eſt, non ferentium domi mancipia,ex quibus nulla vtilitas capitur.Magni Principes facile admittunt,aluntq;multos infructuoſos, & nulli vſui paratos,tātum ſimplices,tantū fideles.Oro Benigniſsimum Patrem Deum, vt quod animo tuo clariſſimum lumen induit, hoc velit etiam ad corporis oculos redundare. Vale.

Fr. Theodoſio Veliæ.

Eugubium. 61.

DEcet hominem chriſtianum, & eū maxime,qui ſacris eſt initiatus,atq;addictus diuino cultui peculiarē in modū,vt nos ſumus Theodoſi,quāquam ſe arctiora legum vincula,

quam me ſtringunt, ex quo iſtam profeſſus es Franciſcanam Religionem, cuius quidem par eſt, hoc magis eſſe obſeruantem, quia nomen habet ab Obſeruantia: decet, inquam, ingenuos homines & Deo dicatos, ſiue inter ipſos, ſiue cum alijs ſimpliciter agere, quodq; veritas aut ęquitas poſtulat, ore libero aperire. Sumes igitur in hanc partem, hoc eſt in bonam, quod mihi amor & religio ſuaſit, vt ad te ſcriberem.

Cum heri accepiſſem litteras tuas, legiſſemq; ſemel & iterũ, laudaui elegantiã ſermonis latini, & grauitatem ſententiarũ, & ſuper iſta modeſtiam ſcribendi. quibus ex rebus hoc tibi perſuadeas velim, me non modo libenter tradere quod petis, amorem ſtudiumq; meum; ſed me vltro ad te delaturum fuiſſe, ſi mihi antea de tuo in me animo conſtare potuiſſet. Alia verborum officia non admittit chriſtiana ſimplicitas, de qua initio memoraui. ſatis eſt profiteri, quod hic profiteor, me tibi ex animo bene velle, facturumque tua cauſa, quicquid inuicem alter pro altero debent, propinquus, amicus, frater. parum dixi: vincit amor erga te meus fraternam charitatem, & propius accedit ad paternam. Audi iam nunc liberius monentem, vt patres ſolent.

Vnum non probaui, nec probo in tuis litteris, quod nullum vſquam religionis ac profeſſionis tuæ veſtigium apparet. Cur enim Theodoſium Veliam te appellas, nec ante ſcribis Fratrem, Monachum, Franciſcanũ? nec enim

te ſuſpicor ex illorum numero eſſe, quos pudet palam fateri, quod profitentur; & cum in Fratres adſciti fuerint, iniuriæ loco habent, ſi fratres vocantur. magiſtros ſe, aut dominos, aut monodominos dici volunt: Frater iam ignobile prænomen eſt apud ſodales religioſos, vt Domnus apud Præsbyteros ſeculares. Horum tu, Frater Theodoſi, vt ſuperbiam deteſtaris, ita me auctore, conſuetudinem non imitaberis; & ſuſceptum initio fraternum nomen cum fraterna charitate retinebis pie, humiliter, religioſe. hoc primum tibi neceſſarium, quaſi præceptum cenſeo eſſe debere. ſequitur alterum minus neceſſarium, quod tãtum ſuadeo, quaſi conſilium. ſequaris non ſequaris, haud in magno equidem pono diſcrimine.

Cognomen gentile aut patrium modeſti religioſi non fere vſurpant, niſi coacti atq; ob grauem cauſam. rectiſsime: ſunt enim ſæculo mortui, & cum auita nobilitate, cum opibus paternis nomen quoq; atque cognomen exuerunt, & aliud induerunt, petitum ab illo patrefamilias, in cuius domum recepti fuere. Nepotem meum ſacerdotem de veſtro numero, certe vetui Bonciarium dici amplius, & iuſsi eſſe Fratrem Franciſcum Franciſcanum Peruſinum vel Antriatem, vt mallet. ſuaſi hoc ipſum, & perſuaſi, cum res popoſcit, viris ingenio & doctrina præſtantibus, inter ceteros Reuerendiſs. P. Thadæo Auguſtiniano, qui cũ ſuos in Eſaiã cõmentarios iam edidiſſet, &

Digitized by Google

iam inſcribere pararet: me rogauit pro amicitia, vt exponerem de Auctoris nomine appingendo conſilium meum. cumq; alij prius ſuaſiſſent, vt ſe inſcriberet Magiſtrum, Theologum, olim Generalem, nunc Reuerendiſſimum, adoptione Borbonium; mihi potius auſcultauit, & de mea ſententia reſcripſit, Fratrem Thadæum Auguſtinianum a Peruſia. nihil aliud. Cetera me in tuis litteris, vt ſupra-ſcripſi, magnopere delectarũt. Vale. Paulus Velia te ſalutat, ego veſtrum Cœnobiarcham amanter, reuerenter. Peruſia.

Comiti Franciſco Federici F. *a Monte Veteri*. 62.

CVpiebas habere noſtrarum codicem Epiſtolarum, quem Germani recuderunt. Ego illum ipſum tibi offerrebam, qui mihi a typographis fuerat donatus. Recuſaſti cum diceres, te ſic eo libro potiri velle, vt mihi nihil incommodares. iterum inſtiti, porrexi, rogaui. ſed nullis precum machinis vici pudorem tuum. poſtremo ita conuenimus: ſi bibliopola intra certum diem tibi alium curaſſet, eo ſcilicet te vſurum; ſin minus, tum a me accepturum: & iam nunc gratiam habere, quaſi accepiſſes. Adiecisti, ſi quando librarius falleret, fore tibi non paulo gratius, ſi meum mihi haberem, & alium tibi reperirem. curaui ergo ſtrenue pro mea in te obſeruantia, & ſtudio

ſingulari

ſingulari, vt ſatis tuæ fieret voluntati: Amicum conuenio, qui habebat, rogo, inſto, & quid multa? felicior ſui exorans illum, vt daret, quam fueram te, vt caperes. Nec porro exiſtimes velim, me caro eſſe mercatum. pecuniæ nihil interceſſit: duos reddere habui Peruſinos pro vno Alemanno. a te tantum hoc peto, vt reuerſus in patriam Theophilo tuo, cuius excellentem doctrinam merito prędicas, & te illi debere plurimum confiteris, mea interdum des ad legendum, ad iudicandum. quod ſi diligenter effeceris, & me libere monueris, non me arbitrabor donaſſe tibi hunc libellum, ſed vendidiſſe, & quidem tanto carius, quam ego emerim; quanto eſt optabilius augeri ſalubribus præceptis ad ſapientiam, quam inanibus diuitijs ad luxum. Vale.

Federico Corneo Abbati.
Romam. 63.

VIDI tuum de Aſſumpta in Cælum Virginę poëmatium, non modo ingenioſum atq; acutum, quod ab iſta indole ſemper expectaui; ſed elegans, facile, illuſtre, quod etiam in raris ingenijs rarũ eſt, ante aliquã eruditionis & naturę maturitatẽ. Sic enim cõperi facto periculo in multis, qui vel mecũ didicerũt, vel a me. Iuuenes alta indole prędití, & acriore ingenio donati, ſub initia proficiendi aut edendi aliquid, neſcio quomodo amãt obſcuritatẽ:

aut certe (quod propemodum idem eſt) ſic ab illa non cauent, vt amare & ſequi videantur. Aetate autem matureſcente, paulatim, vt ſic dixerim, decrudeſcit ingenium, & acceſſu temporis decoquitur ad iudicij lętum ignem. Vidi etiam, hodieq; video de ijs aliquot, qui neſcio quam ob cauſam obſcuri eſſe perſeuerarunt, & ſtulte ſibi blandiuntur in tenebris. eos tu ne credideris ad vllam lucem exiſtimationis, aut gloriæ eſſe venturos. præcipua enim, imo prima ſcribentis laus eſt, Perſpicuitas. Quæ quidem cum tibi, Federice Illuſtriſsime, cum ingenio tam eximio coniuncta in tanta ætatis teneritudine, in tam difficili genere ſcribendi contigerit, duplex tibi negotium incumbit, alterum gratulandi benignis Superis de dono excellenti & ſingulari, quo te præ ceteris inſignem eſſe voluerunt; alterum nitendi etiam atque etiam, vt natam de te ſpem vel ex hoc naturæ apparatu, vel ex primis ingenij rudimentis, adeo non deſtituas ac remoreris; vt primum Excellentiſsimus Pater, deinde omnes intelligant, iſta fuiſſe velut proludia ingentium victoriarū. Sed ego, quæ me ad ſcribendum adduxerat, eam inter ſcribendum cauſam perdidi. Orſus erā a tuis verſibus, vt deinceps venirem ad meos: quibus vtriſq; vnum fuit argumentum, DEI Mater: ratio autem argumenti diuerſa. Ego Deę ſanctam domum, tu Deam ipſam; ego natam in terris, tu renatam in Cælis; ego cunabula tantum attingo, tu coronas atq; triumphos

phos

phos canis. Vt igitur mea humilior tuam ſuſpicit ſublimem & grandem Muſam; ita ego minimus cliens te ſaluto Patronum maximum, eam exhibens per litteras reuerentiam, qua præſentem veneror & obſeruo. Vale.

Benedicto Monaldo.

In Seminarium. 64.

ELEGANS eſt epiſtola tua, mi Monalde; nec elegans tantum, ſed etiam morata, & beneuolentię in me notis illuſtribus referta: tamen mihi, qui te ſingulariter diligo, & progreſſum tuum cupio, non magnam attulit voluptatem. Pugnantia dicere me putas, & non intelligis quemadmodum iſta cohæreant, vt te plurimum amem, & optatis ingenij tui fœtibus minimum delecter. euoluam nouus Oedipus, quod inuoluti ænigmatis faciem habere videtur, neque habet tamen. ingens mihi ſpes fuit ante hunc diem fore aliquando, vt in ſtudijs artium humaniorum a me quoque aliquid diſceres, licet verſari mecum non ſępe poſſes, nec tibi deeſſet copia excellentium magiſtrorum. porro habent, qui diutius & intentius vnam artem factitarunt, noua quædam docendi compendia, quæ nouitij, vel parum attenti doctores non tenent. Itaque illorum vna præceptio, verbis pauculis contenta, prę ponderat ſæpe multis, eiſque longis prælectionibus rudiorum. Quamquam autem ego me inter egregios dicendi magiſtros non numero;

mero; tamen haud nimium arrogare mihi videar, ſi me veſtris contulerim, aut etiam prętulerim, meis olim auditoribus, & ſi non aliud, natu minoribus. Hæc cum ita ſint, profecto agnoſcis, quemadmodum feſellit diligentia tua ſpem meam, & celeritas cunctationem anteuertit. Id quod ſimul auget magnopere amorē erga te meū; qui te volebā fieri doctiſſimū; ſimul de mea hilaritate nō nihil detrahit, quia volebā, vt etiā per me fieres. Accedit, quod me hoc ipsū Mario patri tuo, & Vbaldo auunculo promiſerā eſſe facturū, vt te per intimos Muſarum calles ad interiora deducerem: quod facere amplius non poſſum, te feliciter antegreſſo. Itaque ambitionem meam ſtrenuitas tua luſit, & læſit fidem. & vis me tuarum elegantia litterarum eſſe letarum? Sed extra iocū. progreſſus tuus eſt mihi hoc iucundior, quo celerior. nec ideo minus placet, quia nullum induſtriæ meæ locum relinquit: nā & relinquit omnino aliquid: & tum magis placeret, ſi nihil relinqueret. Vale. Ex Collegio S. Bernardi. VII. Cal. Iun. CIↃ IↃ CV.

M. Antonio Saluucio.
In Seminarium. 65.

MIratus ſum epiſtolæ tuæ clauſulam, in qua me idem rogas, vt reſcribam ad Monaldum, & idem rogas, vt non reſcribam. ſic enim argumentaris, merere Monaldum meas litteras, quia me amat, & te ipſum

magis

magis merere, quia plus amas. Agnoſco verſutiam tuam: qui cum ſcires, occupatiorem eſſe me, quam vt hodie poſſem ad duos, ideoq; reſponſurum neutri potius, quã vtrique; rogas tu quidem pro Monaldo aperte, ac illius in me amorem teſtaris, ſed latenter agis tuã cauſam, & quam ego vnam epiſtolam ſum daturus, eã auertere ſtudes ad te, quia me magis ames. ita videris tu quidẽ laborare etiam amici cauſa, ſed tantum laboras tua. Non intelliget fortaſſe alius, ſi quis hæc leget: quia inuoluta ſagacitas eſt, & ego parum plane explico. mihi autem ſatis eſt, quod te ipſum latere non poteſt, qui feciſti: neq; hęc alio pertinent, quã vt ſentias te fuiſſe deprehenſum, nec fore poſthac locum apud me aſtutijs tuis. ſed o me non aſtutum! qui dũ pergo euoluere tecnas tuas, id propemodum effeci, quod tu vnum petebas, & ego vnum negabam, Litteras. Vale. VII. Kal. Iun.

Eidem. 66.

Bernardini Alfani proauũculi tui laudationem, quam tantopere a me poſtulas, cui dederim, vel potius quis mihi eripuerit, neſcio. inter alias diligenter quęſitam non inueni, cũ hęc ſcripſi, miſſurus, at non ſcripturus, ſi inueniſſem. nũc ideo ſcribo, quia illã nõ mitto. nec .n. mea fert verecũdia, vt ſi alterutrũ negaturus fui, negẽ etiã vtrũque. Dũ igitur Orationẽ tibi reperio, ſchedulã cape amoris atq; memorię teſtẽ meę. puſilla ſcriptio leniet in parte illã ſitim

quam

quam mora longior expectandæ Concionis accendet. Laurum iube ſaluere, & tu salue mi Saluucci. Ex Colleg. S. Bernardi.

Petro Guidoni.
Maceratam. 67.

PEriucundum mihi accidit, quod adeptus illuſtria doctoratus inſignia, putaſti hãc lætitiam mecum quoque eſſe communicandã, cum quo laudẽ communicas. illud vero accidit longe iucundiſſimum, quod eam rem tam demiſſe, ac prope humiliter narras, vt facile appareat, te ſimul deſiderij mei, ſimul modeſtię tuę habuiſſe rationem: ac te niſi ſcires, optatiſſimum nobis hunc nuncium venire, nunquam id ſcripturum fuiſſe, quod ſcripſeris. Gratulor igitur patri tuo primum, qui nunc denique ſeminum abs ſe iactorum meſſem pinguem atque vberem intuetur; deinde mihi etiam, qui partem huius agri longe maximam feliciter excolui: poſtremo tibi, cui ſcilicet vterque laborauimus, & in cuius capacia horrea frumentum omne reconditur, in tua, & ciuium, & exterorum alimenta. Tuum cum ceteris nomen in noſtro doctorum albo notaui, relicto tamen ſpatio ampliore ad ea identidem appingenda, quę promittit iſta indoles, & molitur ingenium. Vale.

Petro

Digitized by Google

Petro Donato Abbati Cæſio. 68.

MITTO ad te aliquid verſiculorum, quod hodie in tuum doctoratum mei pueri laborarunt. Et ſi enim intelligo, nequaquam dignos habitum iri, qui cum ceteris ſiue tam multis, ſiue tam bonis in tuum conſpectum veniant: haud tamen putaui eſſe retinendos: quia ſi non aliud, noſtram erga te obſeruantiam teſtantur, quod tibi moleſtum eſſe non debet. Vides candidum hunc diem, quem Phœbus incohans ſerenat in tuam gratiam? non modo illū canoræ aues ſalutant, vt cycnus, vt luſcinia; verum aliæ cum illis ſe agglomerant, pipilantes aut canentes indocte, vt paſſer, vt cuculus, vt gauia. De poëtis eodem prorſus modo cenſeas licet: cum bonis ſe agglutinant confunduntq; non boni. Neq; hoc tantum huiuſce ſeculi vitium eſt, vt quidam ſuſpicantur, ſed longe vetuſtius: credo, ipſis cum Muſis natum, vt inter ſegetes

Infelix lolium, & ſteriles naſcuntur auenæ.

Certe Flaccus de ſuo ſeculo querebatur, non diuinabat de noſtro, cum ait

Scribimus indocti doctiq; poëmata paſſim.

Sed obijcies: Cur tu autem non exiſti cantare cum ceteris? Dicam mi Patrone: ſum ego etiam de genere auium, aut canentium, aut ſtridentium, ſed nocturnarum, vt bubones & veſpertiliones. qui quidem cum oſcines ſint, & minime auſpicabiles, oſtentare ſe inter gra-

tulantes,, & bene ominantes non debent. Accedit, quod aues iſtiuſmodi tenebras amant, & diem paulo illuſtrem non ferunt: tu cogita, quemadmodum te ferre poterunt Illuſtriſſimum. Vale mi Patrone cuius aura ſerenior ſi mihi olim aſpirauerit, fortaſſe cycnus ex coruo fiam, & fauſtus ex infauſto. tunc laudes tuas non verebor intonare felicius. Ex Collegio S. Bernardi prid. Id. Maij.

Ad Stēma Illuſtriſs. D. Abbatis Cęſij.
Io: Andræas Regius Veronēſis.

DIC mihi, quid montes impoſiti montibus, aut quid
Indicat in ſummo conſita planta iugo?
Per montes mōſtratur iter plenū omne laborū,
Per plantam longæ præmia certa viæ.
Felix, cui Cæſum nemus eſt per inhoſpita! felix,
Cui parat æternas Cæſia Pallas opes.

Innocentius Parrianus Trebias.

QVIS neget antiqua genitos a ſtirpe Deorū
Illuſtres proauos, Petre Donate, tuos?
Cæſia Pallas erat, tu Cæſius. eſt pater illi
Iuppiter, eſt mater docta Minerua tibi.

Digitized by Google

Florauantes Bragha Camers.

CVR tua frondentē tollunt Inſignia, Cornū?
Non eſt hæc ſtudijs arbor amica tuis.
Te decet Aonia frontem præcingere lauro,
Pugnaces armant Cornea tela manus.
Hac me quærētem Pallas mota increpat haſta,
Et robuſta, inquit, Cornus amata mihi eſt.

Petrus Gregorius Fulginas.

CVM ver eſt, omnis noua germina parturit (arbos,
Et pictūrato fulget honore ſolū.
Sed tua proh quanto eſt, Cæſi, felicior ętas!
Quæ Vere in medio dulcia poma parit.

Camillus Venantius Fabrianenſis.

QVAE ſup excelſo frōdet tibi culmine Cor(nus,
Et ſtēma illuſtrat, Petre Donate, tuū:
Lactea fert primum, mox cortice tincta rubenti
Pomula; virtutis ſymbola certa tuæ.
Namq; latet puro radians in pectore Candor,
Mox tua purpureus tempora cinget Honor.

Flaminius Biſcacciātius Eugubinus.
Doctores Peruſini.

QVAE iura, Cæſi, noſter impertit chorus,
Quemq; tibi nunc tribuit gradū,
Etſi es donatus ipſe, non donat tamen;
ſed reddituro commodat.

Olim

Olim rotante candidos Phœbo dies,
Cæleſtibus fauentibus;
Illuſtre cum refulſerit tyrio caput
Honore iuxta Patruum;
Tuis regenda legibus Peruſia,
Leges repoſcet, quas dedit.

Scipioni Barnabæo. 69.
Romam.

AMO Muſarum mearum iam non merita, quæ parua ſunt; ſed fortunam noſtris etiam votis maiorem. Ex longinquis Italiæ regionibus multæ litteræ ad amicos, vnæ ad nos etiam ex Tranſalpinis venerunt; ſimul gratulantes de Poëmate inchoato, ſimul reliqua expoſcentes. nonnullę a nobilibus typographis luculentam nobis proponunt edendi condicionem. qua tamen non ante arbitror me vſurum, quam præuortero alia maioris momenti, quæ iuuentutis noſtrę vtilitas, & inſtituta docendi ratio poſtulat. noſtram dico Tecnopædiam de primis quattuor diſciplinis, quæ partim inſtrumenta ſunt, partim ornaméta maiorum. ex quibus cum duas iam abſoluerimus, Grammaticam & Rhetoricam; reliquæ ſibi me vindicant fere totum, Dialectica & Poëtica. has non edere, ſed informare, ac priuatim docere prius oportet, quam poëmati extremam impono manum. Nam quod tu etiam me vrges, & caſtigas hanc moram: o mi Scipio, non videris intelligere, quanta res ſit, poëma ſcribere longum, nobile, iucundum,

cundum; hoc argumento, hac lingua, his tẽporibus, præſertim cœco, pauperi, occupato. Confer exempla aliorum, qui hoc in genere aut nunc laborant, aut proxime laborarunt. cum quibus & ſi ego comparandus nõ ſum, nec ingenij viribus, nec robore corporis, nec fortunę indulgentia; tamen videbis non paullo fuiſſe, quam ego fuerim, lentiores in ſcribendo, ideſt non ſegniores, vt tu appellas, ſed potius vt ego compertum habeo, diligentiores & cautiores. Non loquar de Augurellis, de Quinctianis, & de ſimilibus, qui vel patrum memoria vixerunt, vel viuunt noſtra; ſed de illis tantummodo, quibus doctorum hominum ſuffragia tribuerunt, & hodie tribuunt in re poëtica principatum. Iacobus Sanazarius, qui præſtare ſequentibus creditur, tres libellos de partu Virginis (vt Viographus teſtatur) duos & viginti annos in manibus habuit. Petrus Angelius Bargęus, quam Syriada exorſus eſt adoleſcens, hanc pertexuit edidítq; in lucem ſeptuagenarius, & eo ſenior aliquanto. legi ego priores duos libros, Pariſijs impreſſos ante annos circiter triginta, quam totum opus abſolueretur. imo illemet tale aliquid palam fatetur in epiſtola, quam poemati præfixam diuulgauit. Stella noſter ſuam inchoauit magnificam & eximiã Columbeida: ſed inchoauit tantum. priores duo libri anno CIƆ. IƆ. XXƆ. VI. excuſi ſunt Pariſijs, & recuſi ſexennio poſt Romæ cum epiſtola Franciſci Bencij. quæ quantas laudes in hoc quaſi

exor-

exordium congeſſit, tantam eoq; acriorem ſequentium ſitim excitauit: & hanc ſitim (ſi recte numerum colligo) legentes tolerant annos ipſos duodeuiginti. nec fortaſſe ſic vrgetur ab amicis, vt ego ſtimulor, incitorq; a vobis poſt nouem ipſos menſes nihilo plures, cum initium illud flagitantibus ad edendum conceſſi. facite me viris iſtis, quos antea nominaui, parem ire per omnia, qui certe longo ſubſequor interuallo: & ſubſequar etiam, ſi facultatẽ ſtudẽdi habeã, & occupationes docẽdi non habeam. tamen quod dixi, parem facite. num forte negabitis idem mihi ſpatium ad meditandum, ad lucubrandum, ad excribendum? an non ſaltem recognoſcenti & corrigenti tot menſes dabitis, quot illi annos aſſumpſerunt?

At tu, inquies, non ſcribis heroica, ſed ludicra. Verum eſt, ludo ego potius quam ſcribo. ſed pete ab expertis, ſi fortaſſe mihi non credis: dicent tibi, non paullo eſſe difficilius, hoc quidem in argumento ludere, quam ſerio agere. quid ſi autem non ſemper ludo? ſed magnam partem de grauiſſimis etiam rebus loquor? Tertius, quartus, & quinctus liber hiſtoriam continet Peruſinorum domi foriſq; illuſtrium, ab annis amplius trecentis repetitam. Sequitur pugna, triumphus, pax. in quibus & multa interpoſita ſunt ſeria, & illa tamen pluris haud dubie mihi conſtant, quæ non ſunt ſeria. Dixi breuiter, quæ me cauſæ a feſtinanda editione deterrent: nec video, cur illas æquus iudex

probare

probare non debeat. Idem tamen tibi polliceor, niſi quid ſecus accidat, quam ſperamus, totum biennium non exiturum, cum rem vobis vniuerſam effectam dabo. promere autem an premere oporteat, veſtri volo eſſe iudicij. Sic librum aut pietas erga Patriam, aut meum in vos obſequium vel laudabũt, vel excuſabunt. Vale, Peruſię.

P. Iacobo Mercato Siluestrinorum Præfecto Generali.

Fabrianum. 70.

AVDI, Pater Reuerendiſsime, Vir humaniſſime, bonum euentum a mala cauſa. Viginti circiter dies ſunt; conuenit me nobilis adoleſcens a Narnia intimus mihi ante quinquennium, per quod mecum in Collegio fuit: & Heu, inquit, nuncium apporto non bonum, I. Lipſius diem ſuum obijt ab Iunio vſque. hoc viator quidam primus nunciauit, deinde litteræ ab Inſubribus confirmarunt. certiſsima res eſt: tota vrbe fama percrebuit: vbique multus ſermo de illo, & queſtus bonorum. Perculit alte animum inopina relatio: quamquam enim viatori paruam fidem, vulgo nullam eſſe habendam cenſerẽ, expertus ſępe vanitatem atq; libidinẽ vtriuſque: tamen illæ me litteræ commouebant, quæ ab Inſubribus veniſſe dicebantur. putabam

Mediolano

Mediolano Erycium Puteanum, aut quempiam de numero amicorum, quos ibi Lipſius habebat permultos, ea ſcripſiſſe, quę certa compertaque allata eſſent ex Belgio. Itaq; per ſagaces ſolerteſq; amicos inſtiti quærere de litteris Mediolanenſibus, qui ſcripſiſſet, qui accepiſſet, qui legiſſet. breue faciam: nihil horum inuentum eſt. ne viatorem quidam erat quiſquam, qui appellaſſet aut vidiſſet. ſed ego hanc fabulam per veſtigia relegendo, ac retro identidem vrgendo, paulatim ad ipſum vſq; retuli auctorem & venditorem nugarum. qui iuſſus edere originem vulgati nuncij, nihil aliud reſpondebat, niſi ſe inaudiſſe prætereuntem, cum apud forum alloqueretur neſcio quis neſcio quem. ego interim, de hoc valde ſollicitus, miſeram litteras Neapolim, Florentiam, Mediolanum, vnas etiam trans Alpes, quibus rogabam amicos atq; diſcipulos Lipſij, vt me ſtatim de illo facerent certiorem. Melius offendi, quã ſperabã, non modo viuere Lipſiũ, ſed viuere memorẽ mei, & propediẽ teſtes vitæ miſſurum ad me verſus ad D. Virginẽ Hallenſem, credo pro illis, quos a me accepit ad Lauretanam: interea dare arrhabonem ac pignus fidei, hoc decaſticon modo genitum, nec dum editum, quod heri acceptum cum litteris ab Auguſta, tecum hodie primum communico, & ſpero gratum tibi atque Angelello noſtro futurum, quia elegans eſt, quia Lipſius fecit, quia nobis miſit. Nec miraberis Pater, quod omiſſa gratulatione, quam tibi

debebam

Digitized by Google

debebam, euecto ad ſupremam Silueſtrinæ familiæ dignitatem, ſi hoc mittam epigramma de peſte, de cęde, de morte. memini enim, nec te arbitror eſſe oblitum, quod tu quoque huius anni primordia nobis es auguratus eodem pene modo per epitaphium Mureti: egoq; poſſum tibi liquido deierare, Præſul integerrime, nullũ mihi annum cucurriſſe felicius ad hunc diem. Spero, ſimilem euentum ex ſimili ominatione tibi futurum, imo tanto feliciorem, quanto eſt obnunciatio mea triſtior, & tua vita prudentior. Vale.

I. Lipſius in Oſtenden Belgarum Vrbem a Militibus obſeſſam.

Vrbs loquitur.

AREA parua ducũ, quã totus cõſpicit Orbis,
Altior vna malis, & quã damnare ruinę
Nunc quoq; fata timẽt, alieno in littore reſto.
Tertius annus abit: toties mutauimus hoſtem.
Sæuit hiems pelago, morbiſq; furentibus ęſtas.
Et minimũ eſt, quod fecit Iber. crudelior armis
Orta lues in nos. nullum eſt ſine funere funus,
Nec perimit mors vna ſemel. fortuna quid heres?
Quis tumulos moriẽs hos occupet, hoſte perẽpto,
Quæritur, & ſterili tãtũ de puluere pugna eſt.

Petro

Petro Bernardo.

QVOD maleuoli & inuidi homines diſſeminauerãt, I. Lipſium fato eſſe ſublatum, & quidem (vt rumor augebat) repentino; id tu iubeas illorum capiti eſſe, qui diuulgarunt. Viuit enim Lipſius, & ita viuit, vt mortuos etiam, ſepultoſque reducat in vitam; nec eam fragilem aut iterum caducam, ſed fortem, ſolidam, & perpetuo duraturam. vt mihi quidem ſic videatur, credo item tibi: ſi detur illis optio reuiuiſcendi, non eſſe accepturos, & maluiſſe in pręſens mori, vt in Lipſij carmine renaſcantur. Vale.

Vincentio Petrolino Epiſc. Murano. *Fabrianum.* 72.

AFFERO ad te nuncium, Pręſul Reuerendiſſime, quo non poſſumus ego dare, tu accipere ſub hęc tempora lætiorem. Petrolinus pronepos tuus egregia præditus indole adoleſcens, propediem ab inferiore ad ſuperiorem ſcholam tranſducetur. Ita ille meritus eſt, longo iterum atq; iterum exploratus examine. qua propter, vt principia ſe dant, non temere in hanc ſpem ſum ingreſſus, ex mea diſciplina ſic aliquando emerſurum, vt Franciſco patruo, & te propatruo dignum eſt. Faxit Deus, vt pari felicitate, primis

media,

media, medijs extrema reſpondeant. Ego te quam ſtrenue progredietur in poſterum, admonere non deſinam: vt ſi quando habeas (quod non metuo) reprehendere illius conſtantiam, nunquam certe deſideres fidem meam. Vale.

D. Sebaſtiano Fabrino.
Fabrianum. 73.

CONcinnæ, vberes, elegantes fuerunt litteræ tuę, mi Fabrine. quarum cum ſumma hæc fuerit conciliandæ atq; obeundę inter nos amicitiæ; non dedecet me ſimul breuiorem, ſimul rudiorem eſſe in reſcribendo. conuenit breuitas annuenti, & condicionem accipienti. rudis vero atque incompta veritas magis amatur. venio igitur in quam me vocas neceſſitudinem & ſocietatem, hoc libentius, quod pauca ego & humilia quædam in commune conferam, qualia nimirum a paupertate mea expectare par eſt. tu vero diues maiorum diſciplinarum & artium, quicquid contribues de tuo, id cenſum noſtrum multis partibus anteſtabit. Quare nullo pene diſpendio lucrum ingens, idq; perpetuum mihi proponitur. quod grato animo capiam, pro re tibi tantundem beneuolentiæ atq; obſeruantiæ repenſurus. Vale.

Digitized by Google

P. Valerio Setæ Seruitę. 74.

NEQVE ſum ita inſolens, mi Seta, vt in quo nihil promereā, id mihi gratię apponi velim; neque rurſus ita ſeruio auribus amicorum, vt id palam loqui non audeam, in quo aliquid promeruerim. Rem dixi obſcurius, quam volebam; conabor facere clariorem. Aeque abnuo, æque reijcio; falſum meritum, falſam culpam. Potui obſequi amori in te meo, & inire a te aliquam gratiam ſi dicerem, excidiſſe mihi per imprudentiam, nec fuiſſe a quoquam prius animaduerſum, quod nō abs te tuas offendit aures in illo verſu

——— ——oculo meliore labantem

Suſtine ——— ——— ———

Sed mentiar omnino, ſi dixerim: nam me Comitolus Epiſcopus ante admonuerat, quam publicarem; & ego ante notaueram, quam admonerer. Recte autem, an perperam fecerim, qui non mutauerim; incertum habeo: & te non doceo Seta, ſed conſulo. Res igitur ſic acta eſt. Ego illos verſus ita ſcripſerā.

——— ——— ———longum miſerata dolorem

Atq; humiles lacrymas, oculo meliore tremētē

Reſpice——— ———

Verum inter recitandum illa mihi venit in mentem ſiue correctio, ſiue diſtorſio. nec celaui amicos: qui facile omnes aſſenſerunt. At enim inquam, verſus ita claudicat, vt cadat. Cadit vero, inquit, alius, & a te auxilium poſcit,

Digitized by Google

ſcit cum ita clamet ------- *Labantem ſuſtine.* Alij credere, quod ſtaret; & in talibus verbis communem putare vltimam ſyllabam primæ vocis Imperatiui, vno tantum moti exemplo Ouidiano, in De Triſtibus lib. 1. Elegia 1.

Tu caue defẽdas, quamuis mordebere dictis.

Et in Metamorph. lib. 2.

Nate caue, dum reſq; ſinit, tua corrige vota.

Ego contra diſſerere, nec arbitrari vnicum exemplum ſatis fore ad regulam generalem, contra tam multos, ſiue grammaticos, ſiue poëtas. Itaq; Ouidius meum, inquam, verſum non defendit, ne cadat; ſed me potius monet, vt Caueam. Ex amicis vna erat Dominicus Coleſanctus a Balneo Regio, meus pridem auditor, & rerum talium bene gnarus. qui prolato libello, En inquit, fortem grammaticum Apionem, qui verſum iſtum facile fulcit. Auſcultate. VOX prima Imperatiui ſecundæ coniugationis producit vltimam ſyllabam, vt Doce, habe; ſed multa excipiuntur, vt Video, valeo, ferueo, teneo, ſtrideo, & alia plura. Enimvero, inquam, debilis eſt grammatici auctoritas, licet perueteris, ſi nõ illam ſcriptorum exempla confirmant. Tum ille, Audi inquit, & exempla Maronis, Naſonis, Cari, & aliorum.

Et longum formoſe vale vale, inquit, Iola.
Idq; quod ignoti faciunt, vale dicere ſaltẽ.
Et circumſcriptum lõgo tene aggere clauſũ.

Hic ego (nam aliorum exempla non aderant) Habeo, inquam, ſuſpectum iſtum verſum

ob duplicem cauſam, quia non nimis elegans eſt, deinde quia certum auctorem non præfert. adde quod, etiam ſi antiquo & bono patre ſit genitus, tamen parum adiuuat conſilium noſtrum. propterea quod, Tene vltimam corripit propter ſequentem vocalem, quale eſt illud Virgilianum.

Inſulæ Ionio in magno, quas dira Celeno.

Habes de breui ſyllaba longā hiſtoriam, cuius clauſulam egomet damno, qui probaueram: nec te conſulo amplius: certum enim ſcio te iuxta mecum ſentire, vt a regula generali tantum ea excipiantur, quorum exempla extant Vatum nobiliorum. non negauerim tamen, cōſulto eſſe me laxiorem in non nullis, & quantulacunq; libertatis occaſio incidat, eam me libenter atripere. Vale Peruſiæ.

Franciſco Vicino Canonico.
In Seminarium. 75.

HEV qualem, heu quantam tibi moleſtiam exhibemus, Franciſce amabiliſſime, ſemper aliquid obtrudendo, quod interturbet ſtudia tua grauiora, cogatq; identidem referre animum ad Muſas noſtras! Quid ego faciā? ſcribit, rogat, imperat noſter Epiſcopus, vt cum ceteris poematibus mittam aliquid uerſiculorum, quod hi pueri ad noſtros Præſides, ſe abſente, cantarunt. Mihi uero ignoſcendū eſſe arbitror, ſi a Cantorum ingenio deſciſcere non licet, qui quidē ex ueteri prouerbio, uel nunquam inducunt animū cantare rogati, uel

ſi

ſi quando inducunt, nunquã reducunt. Velles vero audire, uel potius nolles, quod mihi frequenter accidit cum amiciſſimis, eiſdemque cultiſſimis poetarum. Offendunt me in via lente, vt ſoleo, gradientem: & Heus, inquiũt, Bonciari auſculta cantionem, mihi proxime meditatam. Ego auſculto, dilaudo, abeo. Sed illi me aut retinent, aut deducunt, aut aſſectãtur inuitum; donec ſecundam, tertiam, vndecimam, vigeſimam recitarint. Audi porro quam lepide in hos inuectus, iocetur Magiſter meus.

Hei mihi, quam res inuiſa eſt nimis eſſe Poëtã!
Quantum odij morbus colligit ille ſuis! (tur.
In fora te, in thermas, & balnea in ipſa ſequẽ-
Quod ſi in tẽpla gradũ ferre parabis, et huc.
Si notos forte ægrotos inuiſis, & illuc:
Spectatum ludos forſitan ibis? & huc.
Pergis eo, nullum quo ducere quæris? et illuc:
Pergis eo, comitem quo tibi poſcis? & huc.
Deniq; vt exoneres aluum, diſcedis? & illuc:
Vt ſomnum capias feſſus, abibis? & huc.
Hi tibi tam multis onerabunt verſibus aures,
Auribus vt te tunc ipſe carere velis.

Sed quoniam vel ſuauiſſimæ cantiones moleſtæ ſunt, ſi longæ ſunt; ne me forſitan in illorum numero habeas, qui Mureto graues fuerunt; finem facio canendi, & tui etiam obtundendi. hoc tantum precatus Deum, vt diu viuas, & ſemper valeas. tua enim fortis longæuitas Domino laudem, nobis fructum, tibi meritum parit.

Digitized by Google

Dominico Paſſionæo. *Foroſempronium*. 76.

LEGI anagramma: viſum eſt nimis arrogans, nimis audax: correxi leuiter, & inflexi; neque edidi tamen. veritus ſum, ne darem ſermonem ijs, qui hæc dicerent a me eſſe quæſita, quæ adeo numquam quæſiui, vt ſæpe oblata reſpuerim, ſæpe reiecerim, nec vnquam admiſerim non inuitus. quamquam enim ita ſapiens non ſum, vt laudes oderim meas; tamen neque ita deſipio, quin intelligam, in hoc quaſi Autumno ætatis, decere me potius maturas rerum fruges colligere, quam caduca laudum folia conſectari. Vale.

Iacobo Victorio. *Caſſium*. 77.

GRÆCA Epiſtolis nuper editis interiecta, vis tibi totidem verbis latina fieri. Feci libens, & mitto per Frenfanellos. Caue autem ſuſpiceris, eſſe me de illorum numero ſcribentium, qui vt græce pluſculum ſcire videantur, græca ſemper inculcant, omiſſa interpretatione. adeo enim ex illis non ſum, vt neminem peius oderim. Vidiſti Hortenſium Montfortium ſuper Pharſaliam, ſuper Aeneida? nullum lego commentarium maiori ſtomacho, tum propter alias cauſas, tum ma-

xime

Digitized by Google

xime propter hanc, quod totas tranſcribit paginas ex Homero, Heſiodo, Platone, alijs meras græcas. Nec enim fere vacat cuiquam inter ſtudendum, immorari nimium diu teſtimonijs, quæ ad probandum explanandumq; Poëtam latinum, de græco afferuntur, niſi etiam transferuntur. quod ille vnum ſi faceret, poſſem eius ignoſcere loquacitati & vanitati. Et vin'dicam Vittori, quid ſentio? quodq; non ſemel expertus ſum? Petuntur ex Græcia non numquam auctoritates, quę non multum ad rem faciunt: eas iſti Græcis induunt veſtibus, ne tam facile agnoſcantur, & ipſi pleriſq; nouum, atq; egregium aliquid abſcondiſſe ſub illo cortice videantur. Iuſto Lipſio bene ſit, qui non modo longiora illa, ſed ne vnam quidem voculam gręce ſcribit, cui veſtem latinam non appingat de ſuo; plerique a vulgatis interpretibus mutuantur. quos non improbo, ſi probos eligunt, aut corrigunt minus probos. Cur ego autem in Epiſtolis græca latinis interpoſui, & non expoſui? Excuſat me, quod præfatus ſum ad lectorem: ſpecimē illud ſcriptionis fuit, non iuſta ſcriptio: tentandos habui animos legentium, non docendos. quę nunc inſtat ſecunda editio, ne hoc quidem aut ornamentum, aut commodum deſiderabit. Dixi nimium multa de me, de alijs, imo & in alios, & pro me. Nunc non pauca de tuis litteris, quæ admodum bellæ ſunt ac venuſtę: nec erat, cur conſpectum noſtrum tantopere formidarent. Placet, earum incidiſſe

Digitized by Google

mentionem in clauſula ; vt his quaſi bellarijs atque cupedijs lenirem huius epiſtolę dicacē aſperitatem . Vale.

Ioſepho Phauorino Doctori Medico . 78.

FECI longius, quam debui interuallum reſcribendi ad tuas : feci, non inficior. ſed eſt tamen, quod ignoſcas : nam nec tuæ habebāt aliquid, ad quod magnopere reſcribi oporteret , & ego inanes meas remittere nolebam. Expectaui ergo dum poſſem hoc dare , quod cum hac ſchedula tibi reddet popularis tuus , alumnus meus . Carmen eſt ad Patronam, illam quidem omnium mortalium , ſed veſtratem , Picentes , in primis ; in quorum felici ſolo perpetuum ſibi optauit domicilium . ſpero iucundum fore , licet elegans & cultum non ſit : habet enim ex argumento , quod negauit ingenium; & videbitur bonum eſſe, quia pium eſt . Vale.

P. P. Tinnulo & Burlamacco Sodalibus Dominicanis . 79.

MITTO nunc tandem ad vos, quod iam dudum eram pollicitus , Volumen vnum Epiſtolarum , vnum Carminum : non alterum alteri , ſed vtrumq; vtrique ; imo pluribus. nō enim eius generis munus eſt , quod decreſcat partitum in multos , & ſufficere vnum omnibus non queat . Adagium illud a vobis eſt, quod

quod circumfertur, & hic quadrat perbelle, CENTVM Monachis vnum ſufficere tintinnabulum. Accedunt alia vel communia inter vos ambos, vel mihi etiam cum ambobus. illa perſpicua ſunt, profeſſio, ſtudium, contubernium; hæc non obſcura, ſtudium ſapientiæ, amor inter nos, reuerentia & affectus erga communem dominum plane ſingularis; nec minor illius beneuolentia in nos ſingulos. Alexandrum dico Magium, an Magnum? certe animi magnitudine, quam nominis appellatione ſimiliorem. Ei vos magni magiſtri pro Ariſtotele, pro Leonida eſtis; ego autem diues animis, impar viribus, in cuius illi ſuccedam locum? Equidem quem ille me eſſe velit, neſcio; quem me ego velim, ſcio. Abſit omnis ſuſpicio arrogantiæ: non enim meritum meum loquor, ſed votum. Homerus audiam libenter. nec alium depoſcam mihi Vlyſſem, aut Achillem. Notum eſt Ennij commentum, qui habere ſe animam Homeri gloriabatur, tantum quia hęc duo haberet cum illo communia, ebrietatem & carmen. At ego ſupra hęc, cæcus etiam & pauper ſum, qualis nimirum Homerus fuit, non fuit Ennius. In vno illi pœne pares fuerunt, quod erat vterque ingenio hebeti ad ſoluenda ęnigmata. Homerus Chium cum veniſſet, piſcatores rogaſſe fertur, Ecquid haberent. illi, Quę, inquiunt, cepimus, ea dimiſimus; quę non cepimus, hæc habemus. Sic Ennio Africanus, Doce me, inquit, o magiſter: quid illud eſt,

Digitized by Google

quod qui habet, dare alteri non poteſt, qui non habet, hic poteſt? Neuter quiuit interpretari, & ille quidem interno animi cruciatu extinctus eſt, hic tantum non extinctus. nec puduit ſapientiſsimos vates, qui generoſas Heroum mortes cantaſſent, ita cadere ignobiliter. ſtultum vtrumq; ſed ſtultiorem Homerum, qui aduerſus potentiſſimas hoſtes cum ſtrenue dimicaſſet, Paupertatem, & Cæcitatem, a quæſtiuncula piſcatoria oppreſſus interijt. At ego vt illorum grauem vitam æmulari non poſſim, ita ad ridiculam mortem effugiendam, paraui mihi doctorem & coniectorem OEDIPVM. eum dico ipſum, quem ad vos mitto. cuius dum cano egregiũ & gran de facinus; ne miremini, quod interſero fatuitates & ineptiolas. nã & ego ita homo ſum, & Quandoq; bonus dormitat Homerus. Valete.

Seraphino de Seraphinis.
Canthianum. 90.

ACCEPI a Latino vulgares, ſed non vulgares litteras tuas: ad quas idem reſcribi a me poſtulat, & latine & eleganter: quorum alterum facile impetrauit, quia in me fuit; alterum vero non potuit, quia non in me. reſcribo igitur, vt vides, latine vulgariter, ſed ſincere, ſed candide, ſed ex animo. Amplector libentiſſime quam prætefers erga me tam propenſam, & tam eximiam voluntatem; neque diffiteor, imo libens profiteor, in hoc quaſi commercio animorum, meam eſſe

con-

Digitized by Google

condicionem non paulo ęquiorem, quam tuã. quid enim? ego in hanc ſocietatem communes tantum diſciplinas, certe non niſi humanas conferre poſſum; tu egregias artes, & rerum æque terreſtrium, æquæ cæleſtium ſcientiam tecum affers: ego magiſter dicendi, vel (vt ſpecioſius loquar) doctor artium humaniorum, non video, ecquando vel qua in re tibi vſui eſſe poſſim; tu vero non ſolum iuris, ſed etiam philoſophię ac theologiæ conſultiſſimus, & in præſens mihi honeſtus es, & eris in poſterum fructuoſus. Quid quod etiam mitiora ſtudia ſic tractas excellenter, vt cum illis contendere poſſis, qui profitentur? Id ego non ſolum ex Latini ſermone colligo, cuius fides in dubium venire poſſet, vt amici, vt ciuis; ſed etiam ex elegantia prudentiaq; litterarum tuarum, quæ mentiri quicquam non poſſunt. Vides igitur quanto cum emolumento, quantaq; cum mea dignitate amicitiam tecum ineam. vt interdum erubeſcere cogar, quod tibi nõ anteuerterim, nec obtulerim mea ſpõte, quod dãti optatius eſſe debuit, quã capię̃ti. Accuſarem Latinum noſtrum, qui me antea de tuo ſcribendi conſilio certiorem non fecit. ſed obſtat huic vltioni recens meritum: nimis magnam debeo illi gratiam, te adſcito. Quamquam enim vt nos iungeret, fuit etiam in me ornando profuſior, quam verior; tamen & ijs laudibus decet ignoſcere, quæ ab amore manant; & id mendacium non agnoſcere, quod tales amicos parat. Vale Peruſiæ.

Flaminio de Biſcacciantibus. *Peruſiam in Collegium*. 91.

MITTIS dona nobilium, dona Principum: & extenuas quaſi agreſtia, quaſi ruralia. quod magis mirandum videtur, vera eſt prædicatio mea, nec falſa eſt excuſatio tua. ſiquidem fruges caſeo, melle, ſaccharo conditę, & in placentam longe ſuauiſsimam ſociatæ, quamquam locum maxime honeſtum, ideſt vltimum in cenis occupant; tamen illarum origo eſt ab agro, a quercubus, a pecoribus. Quid gallinas loquar & lepores? quarum illæ bipedum, iſtæ quadrupedum primę habentur, & vtræque in agris natæ, altę, verſatæ. illę anguſtius, at ſecurius; hæ ſpatioſius, ſed pauidius. Sunt igitur, vt ſcribis, ruſtica & agreſtia tua munera Biſcaccianti. ſed eiuſmodi tamen, quibus meliora viri nobiles & vrbani, nec dare poſſunt, nec accipere. Memini Plautinum Senem in Captiuis, qui cum hominem edaciſſimum excludere vellet, ſuam dolo ambientem cenam: Abi inquit. Terreſtris cena eſt mihi. Cui Paraſitus: Sus, inquit, terreſtris beſtia eſt. Quo nimirum dicto ſenem docebat, nihil impedire, quominus ſumptuoſa & opipara eſſet cena, quæ ſimul terreſtris eſſet. Tale tuum fuit donum, mi Flamini, non ideo minus pretioſum, quia terra natum; nec ideo minus vrbanum, quia ruſticum. Vale Antrię ſub lupercalia. Federicum Marionum iube ſaluere.

Horatio

Digitized by Google

Horatio Vimercato. 92.

TAMEN Hypodidaſcalo tuo iratus non ſum. potius aliquam illi habeo gratiam, cuius ineptiæ tam lepidis, & tam venuſtis a te verſiculis celebrari meruerunt. Etiam illud gaudeo, quod nauſeat ad Guarinum meum. triſte omen fui habiturus, ſi a talibus probaretur; quibus arridere, idem prorſus arbitror, quod irrideri a doctis. Quantum vero negotium ego quoque cum iſta gente ſemper habuerim, hęc te doceat velim Pædagogomachia. cuius priores duos libros nuper editos, ad te mitto; ſimul munus huic tempori, tuiſque litteris conſentaneum, ſimul excuſationem mihi ſilentij longioris, & epiſtolæ breuioris. Vale cum Guelfuccio meo, & me vterque ita diligite, vt vos ego vtrumque diligo, conſtanter & ex animo. Peruſiæ.

Hieronymo Figino.
Parmam. 93.

SPES propinqui reditus veſtri, & expectatio congreſſus noſtri, quorum vtrumq; ſpondes mihi per litteras; faciunt epiſtolam hanc breuiorem. ſcribis frigere iſtic ſtudia tua. Hoc ſi verum eſt, noſtra hic conglaciant. Quid enim? quinas horas & eo pluſculum, quoti-

quotidie pueris erudiendis impendere cogimur. quota pars diei vacat ſtudio artium meliorum? Nec tantummodo id nobis perit temporis, quod ſchola occupat, flos diei ante prandium, ante cenam: ſed eripitur quodammodo illud etiam, quod intactum relinquitur. fatigatio matutina diem intermedium, veſpertina noctem inſequentem, aut adimunt, aut corrumpunt. puſillum otij vacuum atq; integrum datur ſub auroram. ad quod ipſum nõ crederes, quam multa ſemper habeam reſeruare, & ea quidem ſæpius aliena, quam mea. Quo facilius ignoſcere par eſt inelegãtiæ atq; feſtinationi ſcriptorum meorum.

In te vero quid ſimile? ſtudia tractas pari cum laude imparia, theologiam, ius ciuile, oratoriam. Ad nos vſq; concionum tuarum clara & conſtans fama perſuaſit: progreſſum iuris per patrem, eundemq; magiſtrum tuum etiam ante cognouimus, quam a nobis diſcederes: deniq; de ſtudijs artium humaniorum, licet hoc etiam aliunde compertum nobis foret; tamen alium teſtem non requirimus, quã epiſtolam hanc tuam. cuius quanta eſt (boni Superi) nouitas in ſententijs, venuſtas in verbis, concinnitas in numeris, prudentia in omnibus! Fruſtra igitur te mihi purgas, quod aſpero legum ſtudio impeditus, non potueris efficere cultiorem, qui feciſti cultiſſimam. Mi Figine, horridiora & ruſticiora oportet eſſe quę ſcribas, ſi vis nobis perſuadere, te potius horrentis nemoris, quam amœni horti eſſe

cultorem

Digitized by Google

cultorem. quam diu ſic ſcripſeris, fidem dicto nullam inuenies. tam exculta, tam erudita, tam lepida, non naſcuntur in montibus, nec inter ſpinas; vel naſcuntur quidem etiam inter ſpinas, ſed Veneris; etiam in mõtibus, ſed Muſarum. Te cupio, & parentes ceteramq; familiam, proſpere & celeriter ad nos redire. Fac valeas.

Fr. Hieronymo a Narnia Capuccino, & Miniſtro Prouinciali. 94.

CVM heri miſiſſem puerum ad Monaſterium veſtrum, ſcrutaturus an tibi tantum otij ſupereſſet a curis negotijſq; prouincialibus, quæ talibus in conuentibus agi ſolent, vt hodie ſemihorulam nihilo amplius, dare operam mihi poſſes: reſponſum a veſtris fuit, nec eſſe in pręſentia, nec fore ante certos dies facultatem tui appellandi: tantiſper expectari oportere, dum diſponeres atq; componeres familiam: nunc feruere vt cum maxime tempus ipſum, & dies comitiorum. atq; hæc quidem, mi Pater, honeſtiſsima & æquiſſima oratio eſt. Iniurius ego ſim, certe impudens atque importunus, ſi quid ea gratia dolere aut queri non erubeſcã. Quod igitur per hãc ſchedulam a te poſtulo, cape paucis. Conuenire habeo te ob multas, & graues, & pias cauſas. neq, hic audio modeſtiam tuã, ſi forte venturũ te ad nos ipſum dixeris, vt pedibus meis parcas. Non audio, inquam, omnino: nec mihi expedit.

Digitized by Google

expedit. Negotioſiſſimum me putes licet omnium magiſtrorum, quoties in Collegio, in ſchola, in cubiculo meo ſum. quinquageni adoleſcentes ętate, patria, moribus diuerſi me totos dies exercent, neq; vllum dant requieſcendi liberum interuallum. mitto exteros, & amicos ſiue meos, ſiue meorum: obſeruant momenta omnia, ac ſi quando ceſſare perpaulum licet, continuo occupant, & otiolo meo identidem inſidiantur. Alij domum & penates quietem ſuam vocant; ego piſtrinũ & remum. denique præter communem vſum, mihi in peregrinatione quies eſt, in domo aliena libertas. Veniam igitur ego ad vos, aut in curru, aut in equo. Tu diem dices huic puero, ad quem diem opinaris, te fore maxime otioſum. cui namque inter comitia puſillum temporis ſufficere potuit, ac debuit; idem comitijs habitis, cupio mecum agi liberalius, exigoque pro ſemihora ſexquihorulam. Sed iam epiſtolę modum impono, vel vt parcam tibi magnis rerum ponderibus grauato; vel ne officiam mihi, ſi forte venias in aliquam ſuſpicionem, fore me in agendo longiſſimum, qui temperare in ſcribendo mihi non poſſim. Vale.

Mauritio Cataneo.

Romam. 95.

IMperauit mihi Dominus & Præſes meus, vt in obitum Torquati Taſſij pangerem aliquid, quod ad te Romã mitteretur, edendũ cũ ceteris Clariſſimi Poëtę laudibus & elogijs

magnum

Digitized by Google

magnum ſane argumentum, & a magno viro imperatum. quorum me alterius merita inuitabant, alterius impellebat auctoritas. quocirca ex duplici grauiq; cauſa nouum & inſigne aliquid exiſtere par fuiſſet. Verum neſcio quo modo res contra cecidit.nam & Taſſius immẽſa laudum amplitudine me deterrebat, & imperio Principis ipſa ingenij libertas minui videbatur. narro tibi: numquam melius aut expreſſius noui bene ſuadere Frãciſcũ Bernã, qui vult poëtas impetu quodã ſuo rapi,nõ cuiuſquã impulſu aut rogatu venire ad ſcribẽdũ. Verſus hi ſunt,quos properanter latinos feci.

O quicunque,inquit,victura poemata cõdis,
Arbitrio cõtende tuo.quod mandat Apollo
Arripe:quod ſuadent alij,cantare recuſa.

Acceſſit ad curam meam,quod non vnius Epiſcopi,ſed tuũ quoq;vrgebat imperiũ.legi enim elegãtiſſimas litteras,quibus hoc primũvniuerſe a Fratribus Inſenſatis,deinde a me poſtulas nominatim.quod mihi vt eſt glorioſius ad narrãdum,ſic fuit impeditius ad meditandũ. nec erit mirũ,ſi duplici difficultate oppreſſus, nec tibi exigenti,nec Epiſcopo imperanti ſatisfecero. At non diffido,futurum vt fortaſſe vtriq; minus diſpliceam in tempore,ſi quando liberior,meo tantũ iudicio adductus ac voluntate, idem repetam argumẽtũ.Muſa tantũ faueat,& tu Vale,Vir præſtantiſſime,quẽ rogo per amicũ tibi,patronũ mihi magnũ Comitolũ,ne deneges nobis amorem tuum; rogaturus etiam per manes Taſſij, ſi gratos illi ſperarem fore verſiculos meos.Vale iterum. Peruſiæ.

Fuluio

Digitized by Google

Fuluio Paulucio Archidiacono. 96.

GASPAREM Mattheolum ex Antriate oriundum, meorumq; (vt ait) propinquum propinquorū, commendo tibi etiā atq; etiā, rogoq; vt protolli ad ſacros ordines cupiētem, qua meritum ipſius erit infirmius, tua illum ſuffulciat atque ſuſtentet auctoritas. Hoc non dubito, quin ſine omni religione poſſis efficere, ſiquidem ea vera ſunt, quę de illo mihi renunciant: Hunc inter primos gnarum atque ſcientem eſſe cæremoniarum ac rituum Eccleſiaſticorum; aſſiduitate autem & diligentia ſui muneris obeundi, non facile cū eo quemquam poſſe conferri, certe neminem anteferri. Ad fidem ſtudiumq; ſeruiendi accedit temporis diuturnitas, qua illum (vt ego audio) nullus ſuperat ſociorum. Scientiam latinæ linguæ ſuſpicabar illi deeſſe, ſi quid deeſſet. verum paucis ante diebus cum forte in Collegium ad me veniſſet, iuſſiſſemq; palam edere ac proferre quantum didiciſſet; haud ſane offendi rudem latinitatis. tenet grammaticam, & ſatis commode latinos explicat auctores. pręterea robuſtus & valens eſt ab ingenio, a iudicio, a memoria, : & eſt in curſu ad Muſas. Maiore apud te commendatione non indiget, qui hoc quęrit ſtudetque, quemadmodum tibi ſubſeruiat Archidiacono Subdiaconus. Volui præſens ego illum tibi heri cōmendare inter prandendum, ſed credo,

Digitized by Google

ſuauitas ſermonum tuorum effecit, vt non meminerim. quod ſi durior eſſe in me voles, non ſermonem putabis mihi obſtitiſſe, ſed Bacchum. nec ego acrius reſello: potius gaudeo (quæcunque obliuiſcendi cauſa fuerit) me tūc potiſſimum eſſe oblitum, cum prædicatio mea potuit eſſe ſuſpectior inter ſcyphos & fercula; nunc vero eſſe recordatum mane poſtridie, cū magis ex animo loqui videbor, & vera ſimul atque comperta dicere credar ſobrius. Vale Ex Collegio S. Bernardi.

Fr. Ioſepho Columbinio.
Venetias. 97.

SI quiſquam veterum antea dixit, ego confirmo; ſi non dixit, primus dicere audeo, AMOREM præſentibus auferre, abſentibus reddere memoriam. Quoties coram rogaſti, obſecraſti, & obteſtatus es me, vt reditum in patriam paranti ac properanti, mandarem tibi curandum iſtic aliquid mea cauſa? vnum ſaltē negotiolum, quod ad me, quod ad meos? nec mihi quicquam vnquam in mentem venit, credo, quia te fruebar ſuauiſſimo & integerrimo amico, ſatis implebat præſentia tua mētem meam; nec vacabat intendere, vel dimittere aliò cogitationem. Te autem digreſſo, rediere ſtatim ad memoriam aliquot millia negotiorum. cum quibus cæpi ſerio altercari, quod præpoſtere mecum agerent. Latuiſtis, inquam, cum vos adeſſe oportebat, nunc adeſtis,

Digitized by Google

adeſtis, cum ego vos non requiro. potuiſtis vtilia eſſe, ſi tempori veniſſetis. Ioſephus meus vos libenter ſuſcepiſſet, libentius curaſſet; nunc quid aliud mihi affertis præter ſollicitudinem & curam? Illa ſe excuſabant, quod vim noſtri amoris ferre non potuerant, & ei locum dederant, non ſponte profecta, ſed fugata. Quid quæris? etſi erã vehemẽter incenſus, tamen inſperſa mentio amoris refrigerauit, ac propemodum extinxit iracundiæ flammam. Selegi ergo, & infra ordine notaui aliquid libellorum, quos iſtinc mitti a te velim, cum poſtea erit commodiſſimum. De his monere te ſatis habui: verba rogãtis nec amicitia noſtra vſurpare permittit, & tua certe non admittit humanitas. Vale. Andreas frater bene valet, alacriter diſcit, te humaniter ſalutat.

Franciſco De Vbaldis I. V. C.

QVAM requiris epiſtolã Illuſtriſſimi Emmanuelis Pij Cardinalis, nihil propitus eſt factum, quam vt mitterem incomitatam. Verebar enim incultam ſchedulam, hoc eſt comitem longe diſsimilem adiungere venienti. Sed cogitaui non decere, Principis filiam, præſertim tam elegantem, præſertim medio interregno, ad ipſum Principis Magiſtrum vadere ſolam. Illud vero non eſſe laborandum, ſi mea ſit inornatior. mitto enim non vt ſociam ſororemue, ſed potius vt ſponſæ pronubam, vel vt heræ pediſequam. Vale,

mi

mi Vbalde, ac me ama: dilectus olim mihi præ omnibus, quos docebam; nunc & cultus ſupra omnes, qui alios docent. Ex Collegio S.Bernardi Id.Martij.

Lucullo Baſſo. 98.

MITTO Etruſcam Oden, quam promiſeram; non miſſurus fortaſſe, ſi non promiſiſſem: cum enim illam ex Bembi conſuetudine, imo etiam ex tua, dies pluſculos iacentem in Aduerſarijs dormire coegiſſem; hodie meus Anagnoſtes cum aliud quippiam ſcrutaretur, & ab ea non longule altum ſtreperet, excitauit. ergo cum deducta eſſet ad patrem, & iuſſa clarius canere; vix primam intonuerat ſtrophen, cum vox abſona & inculta faſtidium auribus inuexit, & menti nauſeam. Quid credam euenturum tibi Baſſe, cuius par ingenium eſt meditantis tua, & par iudicium æſtimantis aliena, ideſt vtrumque cultiſſimum atque acerrimum? Dices videlicet, quod ego dico & queror: Suſcitanda non fuit, ſed ei cum Catullo, Nox

Erat perpetua vna dormienda.

Nunc quando experrecta iam eſt, & redormire abnuit; ego promiſſi memor mitto illam ad te, mox legendam, mox diſcerpendam. Lectio parentis fidem liberabit, diſcerptio filiæ maculas delebit. Vale ex Collegio S.Bernardi Calendis Iunijs.

Qui-

Digitized by Google

Quibuſdam non ſatis perſpicuum videtur, quod meam cæcitatem dixi Vmbram, & felicem Vmbram, quia tu dilaudas. Clamant hic ſibi tenebras obortas. ego non mirari, cum ſit ſermo de Vmbris, & has pellere non poſſum cæcus. Tu facem excita ingenij tui, & fer lucem Lucullus. Vale iterum.

Sonetto al medeſimo.

BAFFO, che l'ombra mia d'aurea fauilla
Adornando puoi far ombra felice,
La man di cui fuor de le vene elice
De la ſelce d'honor chiara ſcintilla:
Per te da la mia notte, a cui la ſquilla
Mattutina gli albori in van predice,
Vſcir del giorno alla bell'aura, hor lice
Che di tua gloria il lampo in me ſfauilla.
Ond'io (la tua mercè) muſico augello,
Non piu notturno; con felici auguri
Su'l limitar de gli honor tuoi t'appello,
E dico: I pregi ſon ampi e maturi:
Gia ſi ſceglie al tuo crin lauro piu bello;
Ma tu lauro terren forſe non curi.

Io: Baptiſtæ Marino.
Romam. 99.

CVM libello Epiſtolarum, qui tibi redditus nuper eſt meo nomine ab Iacobo Philippo Spada, meas etiam afferri litteras æquũ fuit

Digitized by Google

fuit. neque occupatio, licet multiplex & immenſa, hoc officium retardauit: quantula enim res eſt, tribus verſiculis elegantiſſimo viro nouum hoſpitem commendare? Sed feci de induſtria, vt prius alicunde cognoſcerem, quid de me Marinus ſentiret, quam illi me patefacerem: paratus enim fui, ſi liber diſplicuiſſet, vel latere ſilentio, vel certe ſic præ me ferre, quaſi Spadæ munus illud fuiſſet, non meum. ita nempe didici, ex quo Solem non video, incedere tentabundus, & cæco pedi viã munire oculata manu. Nunc quando certis auctoribus, & Spada teſte, iam ſcio meas nugas haud omnino inſulſas tibi videri, potius ſupra meritum amari & ornari; mea facit ambitio, vt cunctandum amplius non putem, quin expromam tibi celatum diu ſtudium atq; affectum meum. Caue enim exiſtimes, ex tot numero hominum, qui litteris & doctrina delectantur, quemquam eſſe vno me Muſarum tuarum magis amantem, magis colentem. Haud negauerim tamen, paruam eſſe hanc cauſam, cur mihi amor tuus debeatur. nam ſi tanti æſtimo ingenium & Muſas tuas; tuum eſt meritum & illarum. ego, hac quidem ratione, nihil promerui; tam facile, tam libenter, tam iucunde adductus ad cultum tui; trahendus ſi repugnaſſem. Quid ergo eſt? Cur petis, inquies, amorem meum, quem non mereris? aut quid contra ſpondes redamanti? Non peterem, ſed exigerem, ſi mererer: nec reſpondeo quicquam præter amorem, quod verum;

Digitized by Google

verum, imo ſolum amoris pretium eſt. Tu ſi noſtrum tanti non eſtimas, fatebor vltro: ſed idem dicam, venire me non mercatum, ſed rogatum, aut vero mercatum etiam, ſed precibus, ideſt pretio maiore, quam vel auro, vel argento. quæ non admodum iniqua condicio tibi proponitur, etiam vendere volenti: ſiquidem pretio tibi perſoluto, tamen me habes, & æternum habiturus es debitorem. Vale. Peruſiæ.

Nicolao Erreræ. 100.

IN legenda fratris tui elegantiſſima Oratione, quonam modo fuerim affectus, & quæ identidem cogitatio ad animum irrepſerit, quæ manet etiam num: volo tecum, mi Errera, conferre per has litteras, calente adhuc animo ſimul conceptas, ſimul editas feſtinanter. Duas ipſas pagellas vix excurreram; cum comperi vera eſſe, quæ de iuuenis illius egregia indole P. Valentinus mihi narrauerat. totum vero argumentum perſecutus, atque animo complexus, primum miratus ſum tantam ingenij vim, tantamq; dicendi elegantiam, copiam, prudentiam contigiſſe homini, qui non dum tertium & vigeſimum ætatis annum compleuerit: deinde ad me ipſum reflexa cogitatione, cum venientibus eiuſdem annis conferebam euntes meos, hunc ferme in modum querens: Proh qua m non doctus, neq; ingenioſus ego ſum! qualis

Digitized by Google

qualis aut mihi videar, qui iudicare non poſſum; aut dicar alijs,qui adulantur. Pluresego annos docendo conſumpſi, quam hic viuendo adoleſcens: & tamen conſcientiam meam ſi conſulo, ſi auſculto; me veterem curſorem, in hoc ſtadio ſic antegreſſum ille admodum vincit, qui nunc currere incepit: & viciſſe videri poterat, tantummodo ſi æquaret. Talẽ ego Orationem vix puto facerem in hac ætate, exercitatione, diſciplina: certe non feciſſem adoleſcens, & quas feci, & publice habui, profecto erubeſcant, ſi cum hac conferantur. Non minus ampla, nec minus miranda idem prædicat ęſtimator acerrimus, & faciendi ac iudicandi pariter excellens Valentinus, de alijs quibuſdam Stephonij auditoribus atq; coæuis ſuis. horum principes numerat Franciſcum Sacchinium, Famianum Stradam, Tarquinium Gallutium, alios non multos, ſed ſupra multos. quorum ego cum ſcripta legerem, contempſi pariter mea.

Quid? tu, inquies, hoc credis M. Antoni, & hoc ſerio affirmas, iſtos ſingulos, & cum his fratrem meum ſcire amplius, & ſcribere melius, quam tu facis? Non equidẽ affirmo iſtuc, neque credo nunc quidem: imo præter theologiam & ſcholaſtica (vt vocant) quibus illi omnem operam impendunt, ego nunc nullam: fateor id quod res eſt, quod docti homines iudicant, quod ipſi fatentur in primis; nõ eſſe inter hos iuniores aut æquæuos

Qui mecum paribus poſſit contendere telis,

præter vnum Stephonium, qui me pari-

Digitized by Google

ter & illos vincit : dicam aliquid fortaſſe arrogantius , & dicam humilius tamen , quam viri eruditiſſimi dicunt , ſcribunt , diuulgant . ſed reprimam me : neque committam , vt ſi quam mihi exiſtimationem illorum auctoritas conciliauit amice prædicando , eam ego vel imminuam referendo , vel impotentius gloriando corrumpam . Eſto igitur hęc clauſula : Non nihil angit me , quod in ſtudio artium elegantiorum , & tota humanitate , contendentibus mecum milite veterano fortibus neoptolemis; parum abeſt quin referam pedem , & ſuſtinere impetum non poſſim . duæ tamen res ſubſidio veniunt illis in me , mihi in illis . me iuuat , quod illi ſponte finiunt certamen , & alio arma transferunt ad magis illuſtrem palmam. illis hoc contra expedit , quod me luminum tela deficiunt , haud vtique ceſſurum vnquam, ſiue tunc pergerent pugnare , ſiue illi poſt redirent , inſtructi artibus auxiliaribus . Fac valeas, o ſummę ſpei,& altę indolis adoleſcens, meq; ama , quod facis .

Franciſco Maſſolino ſuo .

Antriam .

LOCVS eſt apud Terentium in Andria , quem ſubſcribo , a te pariter ſubſcriptū in tuis, Actu V. Scena vltima. ſermo eſt inter Dauum & Pamphilum . P. *mea Glycerium ſuos parentes reperit .* D. *o factum bene.* P.

pater

pater amicus ſummus nobis. D. quis? P. Chremes. D. narras probe. P. nec mora vlla eſt, quin eam vxorem ducam. D. num ille ſomniat ea, quæ vigilans voluit? P. tum de puero Daue? D. ah deſine: SOLVS eſt, quem diligunt dij---- Quæ Daui poſtrema verba quæſiſti nudius tertius ex me per litteras, quemadmodum explicanda eſſe cenſerem. Ego hæc reſpondi, quæ ſtatim animo inciderunt. Metuebat Pamphilus, ne ſibi forte iraſceretur pater, cum audiret, natum ſibi eſſe puerum ex Glycerio. Rogat igitur Dauum, quid agendum cenſeret, ideſt vtrum magis expediret, rem patri ſtatim indicare, an in præſens celare, & differre in longiorem diem. Hanc interrogationem Dauus eludit vt importunam, vt ineptam; aitq; aliud illis cogitandum nunc eſſe, quam de puero: Siquidem puer, inquit, fortunatiſſimus eſt: eum ſolum diligunt dij, quia, nobis ſemper laborãtibus, & nũquam requieſcentibus, ille omni vacat moleſtia, nullum laborem, nullum angorem aut capit, aut ſentit. Deſine igitur queri, vel ſollicitus eſſe de illo, cuius vitæ ratio optatiſſima eſt: de te cogita, & de me, qui tam felices non ſumus. Miratus autem fui non mediocriter, ex tam multis Adnotatoribus & ſcholiaſtis, nemini ſuper hoc loco excidiſſe vnum verbum: omnes præterire, quaſi facilem ad tranſeundum; neque quiſquam dignatus eſt, in re non obſcura facem perdere interpretationis. Tantum hæc reperi ad oram antiqui codicis, PROuerbium ex re natum. quæ verba expoſitionem

confirmant meam. Dauus enim ex vnius infantis caſu, prouerbialem locutus eſt formulam, ad omnes pertinentem infantes, qui per ætatulam nihil hauriunt moleſtiarum in vita, ideoq; fortunatiſſimi iudicantur.

Verum ea quidem, vt aliis probetur, mihi certe non probatur, neq; cauſas libet, aut vacat ſcribere: ipſam malo ſubiungere nquam explanationem, quæ ſic habet. Obiurgat Dauus Pamphilũ, quod voluptatem haurire cuperet meram, liquidam, & nulla curarum admiſtione turbatam: quod humanæ condicionis ratio non ferebat. quis enim ita gaudet abundanter? quis adeo mentem lætitijs confertam gerit, vt omnem animo excluſerit ęgritudinem? ne vnus quidem moleſtiæ angulus pateat? Iniquus rerum mortalium æſtimator eſt, & ſe nimium amat, qui tale gaudium optat ſibi, quod homini contingere non poteſt. Inde ortum eſt vulgare prouerbium, Inter tam multa hominum millia, quæ viuant, vnum eſſe feliciſſimum, ſed eum, quiſnam ſit, ignorari. Hanc rem igitur Pamphilo Dauus exprobrat, cum ait, Ah deſine: ſolus eſt quẽ diligunt dij. quaſi hoc diceret. Inique facis Pamphile, qui tantillum ægritudinis in tanta voluptate pati non poſſis. cogita, non niſi vnum reperiri beatiſsimum in terris. impudens vero eſſet poſtulare, illum vnum eſſe te, ac non mediocri felicitate eſſe contentum. Sed hæc coram ſubtilius paulo poſt. puto enim tantiſper adhuc moraturum iſtic te, dum domum reconcinnandam, colendoſque agellos locare poſſis. cetera

nihilomi-

nihilominus vt tu pręſens non adſis, Thobias frater conficiat. Quod ſi tamen diutius cunctabere, hoc abs te vnum exigo, vt des interim litteras eiuſmodi, ad quas non grauer reſpondere, poſcentes ſemper aliquid, & non poſcentes indocte. a fratre cognomine tuo ſalue, & Vale.

Latino Mencoccio.
Canthianum.

DIſquiſitionem illam noſtram circa vſum & conſuetudinẽ titulorum, quibus recẽs ambitio inſidias tendit: ſed infelici conatu, cũ illa potius capiatur, aut ludatur; deſcribere in præſens nobis otium non fuit. Itaq; miſimus pro illa repertam nuper inter ſchedas veterem epiſtolam, vt pote datam ante annos quattuor & viginti, ad Comitem Gibertum de Oddis. quæ idem ſcilicet argumentum lepida & iucunda diſtinguit hiſtoria. Iube, hoc tantiſper boni conſulant Seraphinus & Paceſchus, dum tu Peruſiam reuerſus, longiorem diſputationem poſſis excribere diligentius, elegantius. Credo, illos haud iniquo animo laturos hanc moram, quæ nobis fortaſſe aliquid fœnerabit. quod ſi etiam nihil lucretur, dolere illi tamen non debent, qui nunc pretium tarditatis accipiunt. Flaminium ſaluta & Vale.

Epiſtolam, de qua hic mentio eſt, retulimus in Opuſcula, quæ mox cuduntur.

Digitized by Google

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

TERTIVM te alloquor, beneuole ac fauens lector. Quas amici epiſtolas ab ſe deſcriptas tulerunt, hæ iuſtum numerũ nobis propoſitum ſuperabant: nec paſſus eſt pudor meus, vt reijcerem vltro, quas euocaueram, ac prepemodum oſtiatim conquiſieram. Centuria igitur expleta, iuſsi ex reliquis duas adhuc ſcribere Decurias, & poſt-locare in ſubſidijs dicã, an inſidijs? vtrumq; ſuſpicor fore opus, vel in fronte pugnantibus, vel a tergo timentibus. Tu boni cõſule, & Vale.

Digitized by Google

M. Ant. Bonciarius Vincentio Vitelleſco S. D. *Fulginiam.* 101.

Ex tuis ad Latinum litteris, quas mecum voluiſti eſſe communes, cognoui de ratione ruſticandi, quam inſtituis per autumnum, vt alternis diebus venando, ſtudendo Dianam colas & Mineruam. probo videlicet conſilium tuum, & hanc laudo animi remiſſionem, quæ ingenio confert & corpori. Nam cum omnino neceſſe ſit, defatigatam ſtudijs mentem aliquo blandimento refouere; talem legere oportet inſtaurationem, in qua mens quieſcat, corpus laboret. Quare, iudicio quidem meo, audiendi nō ſunt, qui ſuadent, poſt ſtudia folijs luſorijs, aut talis, aut ſcacchis otium oblectare. magis vero cauendum ab illis puto, qui vulgo pueris facillime conceduntur: Latrunculos dico, qui plurimum temporis curantur, & intentionem animi prope maiorem, quam ſtudia ipſa requirunt. ex quo fit, vt ingenium, finito ludo, neceſſe habeat alium ludum quærere, qui ſe recreet dupliciter fatigatum. accedit aliud incommodum e ſcacchorum ludo, quo alij fere carent: Si victus diſceſſeris, quicunq; tandem ille fuerit, qui te vicit, aut cognatus, aut amicus, aut magiſter, aut pater, licet de nihilo certatū ſit; quædam tamen triſtitia & acerbitas manet, quæ interdum haud longe

recedit ab odio. Illos igitur magis laudauerim, ſtudijs deditos adoleſcentes, qui ſedentariam deſidiam, vel apricis ambulationibus, vel folle pugillatorio, vel palmaria pila diſcutiunt. aſt illi, mea ſententia, optime ſibi conſulunt, qui quotannis ſub hiemem dies pluſculos ruſticantur, & ſtudia liberalia ſiluestri voluptate diſtinguunt. Parit hæc relaxatio duplex commodum ſtudioſis: quia & vires reficit poſt æſtiuum laborem, & ad hibernas vigilias corpus indurat. Habes igitur Vincenti, nõ ſolum tuę ſubſcribentē ſẽtẽtię magiſtrum, ſed probantem vltro, laudantemque conſilium tuum. Quid nunc ſupereſt? quid niſi vt, quemadmodum ex tuis epiſtolis intelligimus, fructuoſam tibi decurrere vacationẽ, ita ſciamus alicũde nõ infeliciter ſuccede venationẽ? Sic otij pariter & negotij tui ratio nobis conſtabit, feremuſque non paullo facilius deſiderium tui, ſi crebro admonebimur, ex hoc creſcere valetudinem, ex illo non imminui diligentiam. Quæ ſerio ſcripſerim, quæ per iocum miſcuerim, ſi forte non internoſces; docebit te pater tuus: quẽ cupio etiam atq; etiam a me ſaluere. tu pariter ſalue & vale. Peruſiæ.

P. Frãciſco Remõdo Societatis Ieſu. *Parmam*. 102

MIRATVM te eſſe oportet, Remonde, quod miſſis ad me Orationibus tuis circiter Id. Quinctiles, mihi vero ſub menſis exitum redditis, ſane ſtrenue vt ego quoq; confiteor, & tibi ſcio eſſe compertum: tamen ad

hanc

hanc diem non vnum verbum ad te reſcripſerim, quo me ſaltem accepiſſe teſtarer. Dicam ingenue, quod res fuit, apud hominem Gallum, antiquis præditum moribus: haud fortaſſe dicturus apud aliquem Italorum. propterea quod licet veriſsimum ſit, quod iam audies; quia tamen fere accidere non ſolet, id homini aſtuto faciem videretur habere mendacij. Paucis ante menſibus rogaueram P. Alexandrum Norium, vt curaret mihi vnum exemplar Orationum tuarum: quas olim P. Lucius Bencius commendarat, & cõmodarat: ſed biduum, nihilo amplius domi habui occupatus, & alienis legens oculis: mox reddere ſum coactus, tradendas (vt dicebat) Illuſtriſſimo Cardinali Legato, cui arbitror fuiſſe donatas: mihi feſtinata lectio ſitim potius accẽderat, quã ſedauerat. Cõfugi ergo ad Sodalseveſtros, quia in nullis bibliothecis inueneram. quod dicere cœperã, ſpopondit daturũ Alexander; habere ſe Romę, qui ſtatim miſſuri eſſent: ipſo illo die daturũ litteras ad Valentinũ, aut Sacchinium, quos ſciret curaturos etiã mea cauſa diligenter. menſes admodum quatuor nihil eſt miſſum. itaq; iam non modo ſpem, ſed prope cogitationem dimiſerã potiũdi: cum ecce tibi puer quidã ad me attulit feſtinabũdus, atq; hoc tantum prefatus, Venire a Rhectore Ieſuitarum, continuo abijt è conſpectu. quis non Roma illas potius, quam Parma putaret allatas? ego certe ita putaui; neq; erat cauſa, cur ſecus opinarer. quãquam enim nobis inſcriptę fuerant nominatim, tam cuia eſſet inſcriptio

non cõſtabat. Ego credidi eſſe Romanã, a quibus antea memoraui, diſcipulis olim meis: ad quos reſcriberem, non reſcriberem, haud multum referre ſum arbitratus. Heri primum cognoui eſſe munus tuum, puduitq; me incogitãtiæ ac lentitudinis meæ, qui non prius conueniſſem Alexandrum, & præſens de re plenius audiſſem. Sed hoc etiam fortunæ imputes licet. longule abeſt a veſtro noſtrum Collegium: & illum grauia rerum pondera, me graues etiam pedum dolores a diſcurſando retardant. Ac vide tamen infelicitatem meam: ter quater venimus, ego ad illum, ille ad me: nunquam conuenimus. hęc etiam, ſi quæris, egimus per internuncium.

Verum hæc, vt callidis hominibus parum credibilia, & minus commode diſpoſita; ita candidis atq; ſimplicibus nimium longa, & ſuperuacua videri poſſunt. Quæ maiora ſunt, breuius abſoluam. De tuis Orationibus quid ego ſentiam, non effabor apud te, publice profeſſus. tantum addo, quod modeſtiam tuã onerare non debet, Per te habere Theologos, quod imitentur, Oratores quod erubeſcant. me ſane inter legendum (da veniam Pater humaniſsime) ſubit interdum aliquid inuidiolæ, quod tamen ab amore ſeiunctum non eſt. Tua etiam lego epigrammata, quibus nihil poteſt eſſe feſtiuius, argutius, elegantius. Iam quo magis mirari habeam, & magis etiam inuidere, non hæc ſtudia tua ſunt, ſed oblectamenta ſtudiorum. Aequalem ingenio valetudinem, & longæuitatem tibi opto, vt ſcri-

Digitized by Google

ptorum tuorum vberiore prouentu poſteritas æternum lætetur, nos etiam te quam diutiſſime perfruamur. Vale.

Fr.Ludouico Capuccino a Nurſia. *Aßiſium*. 103.

MEmini, Pater admodum reuerende, ac vir doctiſsime, pium illud ſiue argumentum, ſiue ſtemma, de quo mecum olim cõmunicaſti: cuius hæc erat facies, DVO brachia non execta, ſed ab reliquo corpore quaſi latente prolata. in quorum dextero murarium inſtrumentum, quod cocleare appellant; in ſiniſtro diſtrictum gladium collocaueras, cum hoc lemmate, IN SOLYMA STRVENDA, vel SOLYMAM STRVENS. adumbrata videlicet ſacra hiſtoria de Iudęis Hieroſolymã, Cyri regis conceſſu, reædificantibus, qui neceſſe habebant altera manu opus facere, altera ſeipſos tueri ab hoſtibus incurſantibus. In appoſita inſcriptione, dixi, non admodum mihi probari, quod Solymam nominares: maluiſſem pro ea, Sanctam Ciuitatem, aut genus aliud circuitionis, quod rem diceret, vocem taceret. Sed quę affers exempla virorum eo genere excellentium, qui a proprijs rerum vocabulis non abſtinuerunt, ea me cogunt mutare ſententiam, & tibi penitus aſſentiri. De Saluio iucundum fuit audire, quod Epiſtolas meas ita laudet; illud vero iucundius, quod mei meminerit, & me amet. Iubeo hominem ſaluere, quamquam eſt Saluius.

etiam conceſſu Summi Pontificis quotidie illi facias; non poteris ea parui ęſtimare, in quibus Virginis nomen leges; aut putare non bona, quæ laudant optimam. Vale.

Georgio Contareno.

QVOD nudius quartus tibi & Saluio noſtro ſpopondi, me hodie futurum domi, & præſtolaturum eſſe aduentum veſtrum; fortuna inuida meum conſilium interpellat, & tam bonam occaſionem veſtri fruendi extorquet mihi de manibus. quando igitur ſatisfacere animo meo non licuit per congreſſum; volui ſaltem officio ſatisfacere per epiſtolam. cuius duplex commodum eſt, alterum, ne fruſtra hodie hunc laborem ſumatis ad me in Collegium veniendi; alterum, vt me ruri eſſe cognoſcatis, ſi forte aliquid reſcribere volueritis. Quod tamen vobis ita ſuadeo, vt ſiue facitis, magnam gratiam ſim excepturus; ſiue omittitis, nullam offenſam. Valete.

Alexandro Burghio Burgentium Epiſcopo. 106.

PRofectus ſum menſe proximo ſuperiore Lauretum, & vidi illam, vidi inquam non oculis, ſed manibus, genibus, pectore, ore toto ſanctiſſimam Virginis Domum, in qua genita, educata, verſata eſt, quæ ipſum genuit

Digitized by Google

genuit Deum. Ibi præſentia, vt reor, Numinis incitatus, hos profudi verſiculos eo conſilio, vt cum poſtea domum redijſſem, communicaſſem, emendaſſem; tum ſi viris doctis, & in primis Epiſcopo non diſplicerent, Lauretum remitterem, vt ad ſacros parietes appenderétur, monumentum ſimul & Votum. Quid multa? deſcripti, oſtenſi, non improbati, iam eodem remittendi erant, cum Epiſcopo edi placuit, ſpargiq; antea in vulgus. Id ego facile paſſus ſum, nempe vt ea ratione liberiora doctorum hominum iudicia detegeremus, ad eos corrigendos aut, limandos qui Templo dicandi eſſent. Omnino autē ita comperi, Vir egregie, nō ſemel facto periculo in vigiliolis meis: Si quis hodie lucubrationes ſuas excuti, notari, meliores fieri velit aliena ope, nō ipſe oſtendat ſiue amicis, ſiue nō amicis manuſcriptas: iam enim dedocti ſumus verum dicere, præſertim in os auctoribus. eodem in ludo omnes erudiri videmur ad aſſentationem; & pro mōſtro eſt, ſi quis libero ore ſcriptorem monet parturientem: cum vero iam peperit, & fœtus rapitur per ora vulgi: nihil mentitus ſum, quod dixi per ora; rodunt, lacerant, excarnificant; & illi maxime, quibus minime cor ſapit, dentes pruriunt. præpoſteri homines! qui cum obloqui opus eſt, muſſant; cum vero opus non eſt, tunc latrant & mordent vltro. ſed ego iſtos non inſector: hoc pergo, quod cœperam. Non aliena eſt eorum rationibus, qui ſcribunt, eiuſmodi obtrectatio ſiue docta, ſiue inſulſa: nam illa commodum creat, hæc riſum.

Digitized by Google

ſum. Redeo ad verſiculos meos: qui quidem ſi bono ſuo & meo fato, per te Præſidem inter religioſos doctiſſimum, inter doctos religioſiſſimum caſtigari merentur; multo illos non ſolum mihi honeſtiores, ſed etiam Cælo cariores putarem factos. Vale, Vir ſapientiſsime, tibiq; perſuade, me in te colendo ſic eſſe omnibus ſuperiorem, vt tu omnes eruditione, ingenio, magnitudine animi antecellis. Peruſiæ.

Andręæ Chiocco Doctori Medico. *Veronam.* 107.

NON erat ignotum mihi, quod exiſtimas, Vir eruditiſſime, vel ingenium tuum omni litterarum varietate refertiſsimum, vel par ingenio ſtudium pietatis & ſapientiæ. quorum alterum ſpondet tibi famam immortalem; alterum & vitam. Comes Gregorius Beuilaqua de pręſtantibus animi tui dotibus, non ſemel mecum erat locutus, & noſcendi tui cupiditatem iniecerat ante fortaſſe, quam nos tibi Seta noſter inſinuauit. quamobrem non neceſſe habes vel pulſare (vt ſcribis) fores amicitię noſtrę, vel diutius apud oſtium pręſtolari. patet aditus ſua ſponte, nos te nō ſolū libenter admittimus, verum etiā rogamus vltro, vt accedas, & copiolis noſtris nobiſq; ipſis vtare abutare ad arbitrium tuum.

Gaudeo probari tibi Viro doctiſsimo & candidiſſimo, meam ad Senſium epiſtolam de Iuſto

Lipſio:

Digitized by Google

Lipſio : nec minus gaudeo, quod es pollicitus, te curaturum vt deſcripta Louanium perferatur. cupio namque clariſſimum illum Virum, quo quidem (vt leuiter dicam) nec doctiorem, nec pleniorem omnibus diſciplinis quemquam viuere arbitror, per te potiſsimum cognoſcere, quid ego ſemper de illo ſenſerim, quid iam dudum ſcripſerim, quid proxime diuulgauerim : haud ego quidem vt, te prenſante, conciliem mihi hominem : de cuius egregia in me voluntate, teſtes habeo perelegantes, perq; honorificas ad me datas litteras, non lectis tamen, vt apparet, illis ad Senſium meis : ſed huiuſce cupiditatis atq; feſtinationis meæ ratio hæc eſt, quam ſubſcribam paucis. Non multi ſunt dies, cum accepi a Marco VelſeroDuumviro Auguſtano litteras, in quibus mihi ſignificabat, compertum ſibi eſſe per noſtratem hominem, ſibi valde amicum, coijſſe litteratiſſimos Italorum aduerſus Lipſium, & propediem foras venturum opus de imitando Cicerone, in quo Lipſiana ſcribendi ratio redarguitur, & nouus ille modus fabricandæ orationis labefactatur atque ſubuertitur. Non dicam in præſentia, quo euaſuram rem arbitrer, ſi cœptum fuerit litigare. ſatis hoc dicunt exempla proxima non nullorum, qui hanc pugnam parum feliciter pugnauerunt : non ego medius fidius inter iſtos; potius contra iſtos. ita ſuadet ratio, fides, conſtantia. propendeo tamen in illam partem, quo me genius inclinat meus, vt, niſi vehemens caſus vrgeat, contem-

tionibus

Digitized by Google

ptionibus prætermiſſis; degam in otio vitam & Muſas colam placidiores. quoniã vero Velſeri litteræ aliquem mihi ſcrupulum iniecerunt, & cœpi vereri, ne me quiſpiam ex numero illo cenſeat, commodiſsimum fore ſtatuo ad ſuſpicionẽ huiuſmodi penitus amouendam, expediendumque hac cura animum meum, ſi epiſtola illa legatur a Lipſio, vel quoquo modo in manus veniat Lipſianorum. hoc mihi quoque (ne mentiar) venerat in mentem, & dudum animo agitanti, qua mitterem, hȩrentique multas ob cauſas, redditæ ſunt tuæ tam amantes, tam liberales, tam opportunȩ. Iam illud perſpicuum eſt, teſtimonij mei vim fore haud paulo maiorem, ſi ab alio proferatur, quam a me. O igitur expetendam mihi amicitiam tuam, quam non ſimplicem & nudam (licet nuda etiam & ſimplex mihi foret optabilis) ſed beneficio auctam atque ornatam defers! vix ſemina ſparſa erant mutui amoris, cum ego iam nati, iam adulti fructum vberem lego. Sed bene facis, qui nouellum amicum quacunq; ſuſpicione ſtudes exoluere: non enim meretur amorem tuum, qui viris bonis, etiam falſo poſſit eſſe ſuſpectus. Comes Beuilaqua ſitim ſedat, quam Seta excitat. hunc ego, ille te ſalutamus. Peruſiȩ.

Gaſpari

Gaſpari Murtulæ. Romam. 108.

ERGO tu, mi Murtula, ex quo ſilent litteræ noſtrę, tam longas obijſti peregrinationes in Pannoniam, in Auſtriam, in Boëmiam? Gratulor, ſoſpitem atque incolumem eſſe reuerſum: & de te tantum abeſt vt querar, quod me certiorem non feceris proficiſcens; vt etiam nunc quidem aliquid gratiæ habeam, quod tacueris, & me fugeris inconſulto. profecto enim (qui meus eſt mollior animus in amicos, & tales amicos) valde ſollicitus fui futurus de rerum euentu fortuitarum, quas obuenire in tanto ſpatio, his tēporibus, his moribus non temere metuiſſem. Igitur video mihi eſſe lætandum, quod moleſtia illa penitus carui: nec vero carui tantum, ſed gauiſus ſum altero tāto amplius; quia quos tu dies nauigationi & itineri dabas: & fuit fortaſſe vtrumque ſubaſperum, moleſtum, periculoſum: eos ego cum Muſis in Vrbe poſitos arbitrabar: tibiq; tantum non inuidebam, quod ſine me fruereris congreſſu hominū lōge præſtantium, hoc eſt tui ſimilium, Marini, Vbaldi, Bonanni. nam Bracciolinum multi erant dies, cum cognoui abeſſe, profectum cum ſuo Mæcenate trans Alpes in longe honeſtiſsimā legationem. Ex his vides, optabilem mihi fuiſſe, quod alioqui non ſolet amicis, ignorationem. & quemadmodum ſilentio tuo iraſci

ſci non debeo, cum ea tacueris, quæ ſollicitudinem & curam attuliſſent, ita proximas litteras multum amo, cum ea de te nunciauerint, quibus audire gratiora & ſuauiora non poteram. Caue autem in poſterum ideo ſileas, quia ſemel bene ceſſit ſilentium. nam ego ſi feceris interuallum ſcribendi longius, putabo te rurſus longam aliquam ſuſcepiſſe peregrinationem, me pariter inſciente: ſic mihi ſuſpicio ipſa plus moleſtiæ afferet, quam certa & explorata res attuliſſet. Vale Peruſiæ.

Lælio Vbaldino.
Romam. 109.

CEnabam in Seminario, perquam laute acceptus a diſcipulis olim meis, cum allatæ ſunt tuæ litteræ, ad quas hæc pauca dictare inſtitui ſuper menſam. a cena enim alius alio me abducere cogitabant, nec fui otium reſcribendi habiturus per hebdomadam, in qua ſtudia publice repetuntur, & me ſingulis artium magiſtris, quibus magiſter ego fuerim, præſto eſſe, ac diem diuidere oportebat. Hoc nimirum conſilio, propinquum gymnaſio legeram locum, & a Collegio digreſſus, quam ego pomærianam villam ſoleo appellare, ſatis hilari animo vrbanabar. Quid reſtitas inter legendum? an offendit te vrbaniſſimum adoleſcentem vrbanatio mea? ne mireris: nata eſt vox inter epulas: Bacchus vinologiam hanc docuit: analogiam volui dicere,

& quem-

& quemadmodum a rure ruſticus, ruſticatio, ruſticari, ſic liceat ab vrbe, vrbanus, vrbanatio, vrbanari. non placeret tamen ab oppido, aut caſtello ſic oppidari, aut caſtellari; caſtrari autem multo minus. ſed heus tu mitte nugas, & hoc accipe, quod propino recentis Bacchi poculum. Ah ſubamarum eſt. miſce alterum puer a Valleiano Peruſino,

Quod cum Romano poſſit certare falerno.

vah quanto ſuauius! ſed vbi tu es, ad quem modo ſcribebam? In vino ſcilicet te perdidi, reperiam iterum, vt puto, ſi iterum poto. Da tertium pocillator, & imple numerum Gratiarum. Non falſus animi ſum: iam redis ad memoriam: Læli Læli, fauentibus Gratijs, idem mihi te retulit, qui abſtulerat, Liber pater. Sed vereor, ſi perrexero, ne iam ruſticitas fiat, quæ videri volebat vrbanitas.

Quare age ſummoto quæramus ſeria ludo.

Carmen lege ſeuerum & graue, iocoſis adiunctum litteris. quod te fortaſſe ad eiuſmodi aliquid pangendum excitabit, niſi erit redditum, vt mihi tuæ litteræ, inter ſcyphos. Vale. Fratres omnes cupio eſſe ſaluos, Octauianum in primis, quem verberaui epiſtola duriore. Peruſię.

Antonio

Antonio Mariæ Narduccio. *Ticinum*. 119.

ARRIDENT mihi, ne mentiar, quæ laudes in meum Votum congeſtæ a te ſunt ingenij, elegantiæ, pietatis. Arrident, inquam, & ſi ſunt ſupra verum, imò & ſupra votum. nam quicquid manuum artificis ſuperat, id materię dignitas vindicat: nec eſt meum refellere laudationem; quam illi opuſculo non induſtria & eruditio mea, ſed præcipuus fauor Numinis conciliauit. Iam quo magis indicio tuo gaudeas, accipe Lipſianum. CARMEN, inquit, tuum Bonciari, ad Diuam Lauretanam, valde opinionem de te meam auxit. An non faceret ſic eleganter, doctè, alte, pia ſcriptum? Vides quam multa, quam paucis. tu quoque non dixiſti plura, ſed pluribus. Age vero, quoniam ſemel exui verecundiam, cognoſce certius ambitionem meam. Commotus ſum vehementer, quod eâ homo eruditus, & harum profeſſor artium, inter præcipuos Italorum, non dico aperte vituperauit, quod defenderem, non quererer; ſed frigide laudauit, quod pati non poſſum, & arguere pudet. NVPER, inquit, deuenere in manus meas Antonij Bonciarij verſus de Sancta Domo Lauretana, qui ſane mihi non diſplicuerunt.

Digitized by Google

Quod vero moleſtius mihi accidit, homo ęque doctus, illi vetuſtus atque intimus, mihi recens & non inſuauis amicus, teſtimonium illiuſmodi ad ſe miſſum mihi oſtendit: & me talem laudem in magni beneficij loco habere volebat, quia veniret, vt dicebat, a magno viro. ſcis quam impotens oris & ſtomachi ſim, Narducci. non potui æſtum pectoris ita premere, quin erūperet illud Agellianum: NON placere mihi malignum laudatorem: malle me acriter vituperari, quam ita languide ac remiſſe laudari: ceterum eſſe mihi maiorum hominum iudicia meliora. Hic non dubito, te eſſe miratum, qui potuerim excandeſcere ad paruam laudem, qui me nulla dignum eſſe confitear. De multis cauſis accipe duas. Primum malignitas iſta ſiue frigiditas laudandi, tantū momenti habet ad vituperandum, quantum aperta calumnia non haberet. nam qui detrahit palam, eo ipſo fidem ſibi abrogat, quia ſe quodāmodo inimicum profitetur: qui vero frigide laudat, bonos etiam inducit in fraudem: quia ſtudio beneuolentiæ ductus videtur ad laudandum, & ſtudio veritatis ad ſic frigide laudandum. Deinde apparet ſingularis arrogantia in non nullis, qui æquales ſibi, & ſtudiorum eorumdem ſocios, laudant iſto modo. NON indiſertus eſt M. Antonius: certe ſcit aliquid; ſcripta eius mihi non diſplicent. Pernimium enim tribuere ſibi videntur, qui hāc vſurpant iudicandi licētiam de collegis, inter collegas: & vulgo imperitorū magni habętur, qui audent iudicare de magnis. Vale.

Hiero-

Digitized by Google

Hieronymo Tetio. III.

GRatulatus ſum tibi, Martio ineunte, quod nihil petens aut ambiens tale, conſenſu ciuium nobiliſſimorum, lectus fueris inter Decemuiros tuendæ vrbi per Interregnum. Hos antiqui poſt Remp. nominauere Præfectos Vrbi. addit Sidonius Apollinaris, Vacante aula noſtri appellant Capita Regionum: quia bini ſingulis regionibus, quaſi primarijs vrbium membris præponuntur. vulgus ad græcam conſuetudinem, coactis in vnam duabus vocibus, eleganter (vt mihi quidem videtur) vocat Caporiones. Quo in munere obeundo, cum pulchre impleueris expectationem prudentiæ, vigilantiæ, magnificentiæ, quas virtutes in primis ſecuta Ciuitas, illam tibi honeſtiſſimam prouinciam demandauit: nouæ mihi gratulationis cauſam præbuiſti. quam ego ſumerem libenter, niſi ſperarem, me paulo poſt commodius & expreſſius coram eſſe facturum; nec nunc neceſſe haberem, ad ea per litteras reſpondere, quæ tu mihi per litteras gratularis. Primum igitur quod ſignificas, lætari te vehementer, quod mihi cum Illuſtriſſimis Vbaldinis peruetus amicitię vſus intercedat, inde adeo cum pueros Peruſiæ noſter docebat Palettarius: proxime autem legiſſe te Lælianam epiſtolam, ex qua facile appareret, quantum me amaret, & quantum ſcriptis tribueret meis humaniſſimus ſimul, atq;

lectiſsi-

lectiſsimus adoleſcens : ita eſt re vera : ſed tibi quanto ſemper fuerunt ætate propiores, fortuna ſimiliores, conſuetudine aptiores; tanto nunc etiam amantiores, & cupidiores tui ſingulos eſſe arbitror atque confido. certe Robertus elegatiſsimis ad me litteris, quas ſuperiore anno inter noſtras vulgauimus, & honeſtam & amantem de te fecit mentionem.

Ceterum quod ad Lęlium attinet, qui non ſolum frequenter, ſed etiam maxime humaniter, & maxime liberaliter ad me ſcribebat, cuius amori ſtudioque in me poteram fortaſſe pluſculum confidere : hoc ſcire habes admirandum, quod primum heri Epiſcopus mihi narrauit, deinde confirmauit Camerarius Quæſtor Borgiannius. Menſes ſunt circiter decem, cum ingens adoleſcenti cupiditas incidit, aſperiore aliqua, ſed certiore via, properandi ad felicitatem. Legerat ergo, in quam ſtatim dare nomen volebat, piam familiam fratrum Carmelitarum. non illam maxime vulgatam atque communem, cui domicilium penes nos eſt, in parte vrbis ad orientem verſa:qui ędem colunt Simoni Apoſtolo dedicatam;ſed alteram nuper arctioribus conſtrictam vinculis, cui magis præcipuum nomen eſt, Excalceati ab Hiſpania. Horum inſtituta & leges referunt aſperiores eſſe, quã Ciſtercenſium & Capuccinorum. veſtis horrida, lectus horridior, proxime ad conſuetudinem veterum monachorum. menſa communis,ſed eadem tenuiſsima, eadem duriſsima.

creberrimas

creberrimas vertente anno inedias tolerant. & cum vberius refici permiſſum eſt, olus tantum & legumen apponitur. carne, ouo, lacte curantur infirmi verius, quam inſtaurantur. a ſanis vero & valentibus perpetuo exulant: vt aliquod ieiunii ſolatium eſſe videatur, quod nec lauto priuat prandio, & cibis agreſtibus pretium facit raritas veſcendi. Hæc nimirum illa eſt ſocietas, in quam ante biennium, cõfecto apud nos curriculo ſtudiorum, cooptatus eſt Comes ille atque amicus noſter Antonius, qui pariter Vbaldinus dicebatur. Ergo Lælius, cum hæc illi complacita Sodalitas foret, & neque a ſuis impetraret incundi facultatem, nec ſodales illum reciperent, matre inuita; confugerat ad proauunculum Cardinalem Medicæum, eique perquam humiliter ſupplicauerat, vt ſibi auctoritate ſua præſto eſſet, ad alterutram harum victoriarum conſequendam, vel de matre, ut ſe ſtatim abire permitteret; vel de ſanctis ſodalibus, vt exciperent venientem. Cardinalis & quia illi maxime de pronepotibus indulgebat, & quia etiam ſciebat eſſe ſtomacho perinfirmo; primum non probare conſilium adoleſcentis: timere inſidias dęmonum, aut credere puerilem leuitatẽ ſubito natã, ſubito moriturã: deinde, vt acrẽ contentionẽ animaduertit, multa illi proponere factu difficilia, perpeſſu aſpera, etiã cogitatu horribilia, quibus pia illa ſodalitas abũdaret; quibus cum adoleſcens Maronianum illud frequenter occineret

——— *Non vlla laborum,*

G O *Prin-*

O Princeps noua mi facies, inopinaue ſurgit.
Omnia præcepi, atq; animo mecũ ante peregi:
tamen poſt tertium quartumque congreſſum, eo tandem redacta res videbatur, vt vel ſuaſionibus inductus, vel precibus fatigatus, vel repulſis incitatus, abieciſſe illam cogitationem penitus crederetur. Verum enimuero poſtridie quam Illuſtriſſimus Medicæus, in Petri ſolio locatus, iura gentibus diuidere cœpit; admiſſus ad pedum oſcula Lælius, ſine arbitris, & a Pontifice non ſolum humaniter ſuſceptus, ſed etiam vltro rogatus, vt aliquid poſceret: Peto, inquit, Beatiſſime Pater, per viſcera IESV Chriſti, vt me nunc tandem veteris voti compotem facias: humanis rebus nuncium remittere mihi concedas, & ſacco indutũ, ſandalibus calceatum, fune cinctum introducas ad Chriſtum, Cæli ianitor, & Chriſti Vicarius. ſatis magnum, & ſatis longum roboris mei periculum feci, nec ſemel conſului peritos talium vocationum. vires valent, ad reſiſtendum paratæ: cor de cælo tactum flagrat ardentius, & identidem ſuſpirat ad Dominũ. Ne fruſtrare, Pater, diutius cupiditatem & ſpem meam. Spondeo, & ſpondere me Dominus iubet, nunquam fore illud tempus, cum huius nos conſilij pœniteat, me quod ſuſceperim, te quod probaueris. Ne multa: ęgre ille quidem, ſed tamen impetrauit.

Exinde hic ſũmi Pontificis iocus celebratur. Cardinali Baronio tum forte interuenienti, Hæc prima, inquit, Promotio eſt mea: ſic extuli nepotem ad Cardinalatum. deinde rurſus

Digitized by Google

ſus da Lælium, Mi fili caue, inquit, ſuperbiæ auram, primo ſuauiter blandientem incautis; vbi vero paulatim irrepſerit, intimo afflatu peſtem virtutibus inurentem. cetera flagitia non facile aditus ad generoſum pectus inueniunt: ſuperbia eſt, quæ altiſsimas mentes aſtu deijcit, & ſecum rapit in profundum. Vt diligens colonus diuitem hortum, ſepe obiecta, non difficulter ab incurſu pecudum tuetur, ſed volucres ex alto ingruentes, prohibere aditu non poteſt; ita vidi non ſolum adoleſcentes, ſed etiam grandes natu viros, pietati maxime deditos, cauere nullo fere negotio a turpibus, & in medio poſitis flagitijs; ſuperbiæ autem, a qua deſuper bellum mouetur, nec obſiſtere pertinaciter, & pleroſque primo impetu ſuccumbere conſueſſe. Quod adhuc miſerabilius eſt, placent ſibi homines religioſi, quia vulgaribus animi morbis non laborant, & interius latens venenum non agnoſcunt. ita eſt: non agnoſcunt: & ſuis nimium cupiditatibus fauentes, zelum Domini appellant, quæ ſæpe ambitio eſt, & inſolens libido excellendi. Poſt hæc Præfectus ſodalium generalis arceſſitur, qui cum Lælio intrauerat Regiam, ſed ex compoſito in interiore aula ſubſtiterat. Huic Pontifex commendatum adoleſcentem, mox religioſis indutum veſtibus, vnum diem ſecum eſſe voluit perquam familiariter. ad veſperam ſupplici, & in genua prouoluto, cunctorum veniam delictorum benignus indulſit, paterniſque auctum monitis, hilarem tranquillumque dimiſit.

Obſecro te, quid hoc dici vel fingi poteſt mirabilius? Adoleſcens ingenio excellenti, & iudicio acri,& doctrina multiplici, & aſpectu corporis eleganti,& ſupra ceteros Auunculo carus, tum cum maxime imperij obtinẽdi, & ętatis fruẽdę tẽpus aduenerat, proiectis omnibus & calcatis delicijs, blãdientẽ oculis purpurã deformauit in ſaccũ: & exquiſita edulia, quę nõ dico helluoſitas appeteret, ſed delicatus corporis habitus requireret, in betas mutauit & fabas. O animi magnitudinẽ ſingularẽ! o rarum atq; eximiũ exemplũ continentiæ! Parum fuit, ſi regalẽ aulam nõ agnoſceret: etiã patrios penates ſibi cenſuit relinquendos. puto quia vidiſſet, eandẽ poſthac futurã,& regiã & domũ. ille vero aulicã oſtẽtationẽ ſic exhorreſcebat, vt præoptarit domeſtico carere ſolatio, ne in laqueos propinquæ hoſtis incurreret. quare ſęcularem atq; profanã viuendi rationem mutare ſtatuit in magis religioſam,& magis piam. Sit ita Lęli. oderis aulam, oderis curiam, anguſti animi adoleſcẽs, qui argentũ cũ innocẽtia, imperium cum modeſtia, delicias cum frugalitate nõ capis. ergo ne ad genus vitæ contrariũ, ſic laborioſum, ſic aſperum tranſire properaſti? præſertim cum eſſes valetudine parũ valida,& ſtomacho perinfirmo. potuiſti ergo pullã togã induere, ſi horreres cęruleã,& quæ tibi de pinguibus ſacerdotijs ſuperfluerent, in vſum pauperum erogare. At tibi ſatis nõ fuit egredi aulã, domũ, vrbẽ: monaſteriũ intras,& monaſteriũ eiuſmodi, vbi menſę, quietis, ſomni, & rerum plane omniũ experiare penuriam. O animi robur

bur,o inuictũ pectus,o abſtinẽtiã, prope dixerim,nihil abſtinentẽ,ſed diſſolutam atq;infrenem!que tã anxie quærit,a quibus ſibi tẽperet; quã ſolent alij,quibus fruantur. o ſuperbã humilitatẽ,quæ dignata nõ eſt ſubſeruire Chriſti Vicario in delicijs,ſed cũ Chriſto ipſo verſari maluit in laboribus,in angoribus, in vigilijs, denique in omni genere incommodorũ! macte adoleſcens iſta indole,iſto propoſito, iſta conſtantia. ego tuam ſolitudinem magnæ Principum frequentiæ; tuum tuguriolum pontificijs ædibus, oſtro auroque fulgentibus; tua iſta panis fragmenta, oſtiatim emendicata, conquiſitiſſimis regum epulis; denique tuum ſaccum fraternæ purpuræ libenter antepoſuerim. o animi tranquillitatẽ ab omnibus quidẽ exoptatã,ſed a nullis ferme ibi quæſitã,vbi habitat.dicã aliquid mirabilius.potiſsimũ ibi quæritur,vbi aut nunquã fuit,aut ſi fuit aliquando, nũc certe nõ eſt, olim repulſa & dãnata exilio ſempiterno. Sed me contẽplatio egregij facinoris, Teti ſuauiſſime, ſic abduxerat, & quodãmodo me mihi ademerat,vt ad quẽ ſcriberẽ, vix meminerim; quare autẽ ſcriberem,& quid te vellem,aut non vellẽ,prorſus nihil in mentem rediret. Quod tu tamen minus mirabere,ſi cogitabis,hæc me ſcribere mirabundũ. Vale.

Camillo Venantio ſuo.

Fabrianum. 112.

Commercij litterarij lex eſt, vt qui peregre profecti ſunt, ſcribendi officium prius vſurpent, & de ſuo itinere

illos doceant, quos reliquerunt. Id tu hoc alacrius efficere debuiſti, quod proficiſcens & monitus a me fueras, & eras etiam tua ſponte pollicitus. Neque eſt quod cauſeris mittendi difficultatem: heri muliones veſtri præſto fuerunt, vt quidem nobis narrauit venerandus Senex Saluator Auguſtinianus, qui litteras iſtinc accepit, atque remiſit ſuas. Tamen (vide lenitatem meam) ignoſco tibi lubens volens, prope dixi, & laudans. cogito patriam & matrem & propinquos & ſodales. quorum ſuauitas ex interuallo reguſtata, non hercules mirum eſt, ſi officij tui & deſiderij mei memoriam non dico acerbam, ſed certe minus iucundam, aut excuſſit, aut compreſſit. Seraphida quod iam expectes, nihil eſt. typographus de die in diem trahit. non difficulter hoc credes expertus. hodie (niſi fallor) octauus a tuo diſceſſu ibat dies. integrum folium, & dimidium alterius ſupererat cudendum, ideſt illud ipſum (an illo adhuc pluſculum?) quod reliquiſti. Fortaſſe bonus aliquis Genius nobis affuit, & conſulto rē huc deduxit, ut Opuſculum de Seraphico Patre nō prius abſolueretur, quā dicatus ei dies veniret, qui iā aderit. Nominatim ſaluere a me volo communes amicos, atq; propinquos tuos. etſi ego neminem nomino. ueritus enim ſum, ne teſtamentum ſcribere uiderer, non epiſtolam, ſi tam multos, quasi teſtes adſcriberē: si quos autem pręterirem, illi iure optimo ſuccenſerent. duo tamen supra ceteros ſunt, in quibus calumniam metuere non debeo, Reuerendiſſimi Præsules, Petrolinus

trolinus Epiſcopus Muranus,& Siluestrinorum Præfectus Generalis. Addo Vincētium Gilium Auunculū tuum, & Auguſtinum Angelellū meum: quibus tantum volo ingeras ſalutationum meo nomine, quātum impleat reſcribendi officium ad longas litteras. Vale, Peruſiæ V. Cal. Octob. CIↃ IↃ CV.

Ioanni A Prato Bruxellenſi.
Romam. 113.

QVAM illud mihi fuit gratum, quod Bernardus noſter meo nomine multam tibi ſalutem adſcripſit, tam hercle hoc alterum tuli moleſte, quod idem non tacuit de conſilio quod ceperam ad te ſcribendi, quæ ſeſe occaſio prius ferret. ex hoc enim valde accidit contra meam voluntatem, vt mihi anteuerteris, & difficiliorem feceris rationem reſpondendi, quam futura erat prouocandi. De magno Lipſio quæ ſcribis, grata ſunt, non etiam iucunda omnia. Nam quid illud quæſo eſt, quod conqueritur, ſe deficere in dies, & vix ferre grauem ſenectā? Manutius, Sigonius, Bargæus ſeptuagenarij, & hoc etiam ſeniores diem obierunt. Fuluius Vrſinus octogeſimum, Petrus Victorius nonageſimum impleuit annū: nec ſe quiſquam horum nimis ſenem putabat. Lipſius triennium totum abeſt a ſexageſimo, natus videlicet anno ſeptimo & quadrageſimo ſupra ſeſquimilleſimū: & in tantam atq; tam crebram ſenectutis querelam erumpit? Equi-

Digitized by Google

dem miror natu ſum, quam Lipſius, decennio & menſibus quatuor: tamen ego, mi A Prato, cum annum iſtum ſeptimum & quinquageſimum attigero, ſi attigero; nequaquã tum mihi ſenex videbor. quippe a morte quam longe abſim, neſcio: a ſenectute ſcio me abeſſe plus duodecim annorum. Porro ſenectus ſexta ætatis humanæ pars eſt, quam ſapientes ita diſcriminant definiuntque; vt infantia extendatur ad ſeptimum annum, Pueritia ad quartum decimum, Adoleſcentia ad vigeſimum quinctũ, Iuuentus ad quadrageſimum ſeptimum, Virilis & matura ætas ad ſexageſimum tertium. inde nimirum incipit Senectus, tenetque circiter duodecim annos. quicquid autem ſupereſt, ad decrepitatem reijcitur. Qua ratione tu adhuc adoleſcẽs es, mihi maturitas iam aderit, Lipſio aduentat, nõ dũ adeſt ſenectus. Ex his autẽ, quę ſe nuper enixũ ſcribit (vide ſi ſenex nõ eſt: etiã parit) Stoica in manibus habeo: non legi, quę ad Sacram Hiſtoriã: expecto Carmen ad Diuã Virginem Hallenſem, quod mihi pollicitus nuper eſt ſe miſſurum. Promiſſi admone, cũ reſcripſeris: & te cura, mi Ioannes, quod ego exẽplũ ſingularis doctrinæ ac ſingularis modeſtię, viris propono ad ſuſpiciendum, iuuenibus ad imitandum. Vale.

Comiti Gregorio Beuilaquæ. 114.

LEGI epiſtolã tuam, quæ quã pulcherrima & elegãtiſſima erat, tã moleſtiſſima mihi accidit. Quid, inquies, iſtuc eſt, quod narras? tã ab amicitia noſtra, tã a moribus tuis alienũ? an

cum

cũ tu ſemp id laboraueris, ego nihil fere ſtudue rim aliud, quã vt recte ſcriberẽ; nunc id doles ipsũ ſi ſcribo? Miror, ſi potes iſtud facere: nõ debes quidẽ certe. Audi nũc iã, mi Beuilaqua, & intelliges, non ex leuitate, aut alio affectu, ſed tantum ex amore ortam moleſtiam. Ego te, multi iam menſes ſunt, ex Collegio, meaq; diſciplina ita dimiſeram, vt ſtudijs humanioribus non omiſſis, aut valere iuſſis, ſed ad tempus intermiſſis, te totum dederes iuri ciuili perdiſcendo. ſic clariſſimus Pater in perauerat tibi per litteras; ſic Illuſtriſſimus Cardinalis præſens fuerat hortatus; ſic ego etiam ante ſuaſerã & perſuaſeram; deniq; ſic ipſe vltro ſpopõderas, & ingreſſus alacriter, magno cum fructu progredi videbaris. Ecce autẽ duobus ante menſibus inaudio, te refrixiſſe in ſtudio legum, & ad cantiones odulaſq; tum latino, tum etruſco ſermone meditandas, animum appuliſſe: litterulas etiam ſcriptitare ad amicos, tibiq; magis familiarem eſſe Ciceronem, quam Iuſtinianum; magis Manutiũ, quam Miſingerium; ideo te in academijs, conuentibuſq; iuris diſcentiũ primo infrequentẽ fuiſſe, mox rarum, nunc nullum. Hoc ego, pro mea in te beneuolentia, cum ſagaciter eſſem odoratus, & rem cauſamq; comperiſſem, ſcis, quam multi & quam graues viri te hortati fuerunt ad legum ſtudia ſerio repetenda, omittẽdaſq; delicias humaniorum. hoc autem neſciſſe te arbitror, quod nunc ſcies, pleroſq; illorũ feciſſe, ſuaſu atq; impulſu meo. Iam cum eſſes pollicitus te facturum, egoq; mutationis huiuſce

ſce prę ſumpto gaudio exultarem; accipio venuſtas, lepidas, facetaſq; litteras tuas. in quibus nihil me fallis, quo diſpendio laboris, ingenij, temporis ad iuuenilia, vel ſaltem intempeſtiua relapſus eſſe videaris. Habes cauſam, cur epiſtola tua, quanto melior ſit, tanto grauius teſtimonium dicat aduerſum te. nec iam miraris, aut carpis ſuper damno tuo mœrorem meum.

Nō intelligo, inquis, quemadmodū mihi fraudi eſſe debeat, Bene ſcribere. Non intelligis? auſculta: & diſce in humanis multa eſſe ſuapte natura bona, quę tamen mala fiunt, pro condicione locorum, temporum, perſonarum. Recordari mortuos, & de illis frequenter loqui, pium eſt, nō ſolum vtile atq; laudabile: id vero ſi fiat inter epulas, agreſte ducitur atq; ſubputidum. apricatio veſpertina ſalubris eſt, matutina ſalubrior; ſed per ęſtatem: hiberna crepuſcula multis modis vitiant valetudinem. Quid vino ad hauriendum iucundius, ad inſtaurandum efficacius? at febricitanti perniciosum eſt, quibuſdam in morbis venenum. Porcina optimum ac ſapidiſsimum edulıorum cenſetur, ſed meſſoribus aut foſſoribus. nobiles viri ac litterati, ſi crebrius veſcantur, capite, ſtomacho, renibus, & fere ſemper cruditatibus laborabunt. Cœcos tamen excipio, quos Hippocrates non excepit, licet illum Democritus docuerit. Horum nāq; vt veſcendi voluptas maior, ſic eſt coquēdi facultas amplior ac validior. Pulchrum animi ornamentum eſt muſica, non in viris ſolum, ſed etiam in feminis: tamen apud Salluſtium Sem

pronia

pronia notatur, pſallere & cantare elegantius, quam neceſſe eſt probæ. Sic apud Plutarchum rex Ageſilaus tenerum filium, ſuauiter molliterq; canẽtem, his verbis increpat: Iſta, inquit, priuatorum oblectamenta ſunt: regibus plus nimio eſt, ſi cantores interdum vacat audire, in rerum ſolatia grauiorum. Ita eſſe poſſunt, mi Comes, epiſtolę ornatiores, quam quę a iuris perito, a philoſopho, a medico ſcribi debeant. quod ſi ſcribantur, non teſtimonia diligentiæ ſunt, ſed indicia neglectæ, aut parum cultæ profeſſionis. Quatenus vero, & qua via iuris candidatus retinere debeat eam latinitatem, quam adeptus eſt adoleſcens, coram vberius atq; cõmodius te docebo. Caue autem coneris, de induſtria male ſcribendo, redimere eam gratiam, quam bene ſcribendo amiſiſti. Nec enim neceſſe eſt, ſi qui nimium bene ſcribit, non nimium bene ſtudet, eum optime ſtudere, qui ſcribit peſſime. Vale.

Cæſari Blanco Tetrico.

Interamnam. 115.

SVbirata eſt Muſa mea Muſis tuis: & vide cauſam. legi feſtiuos & dulces verſus, quibus meum Votum occaſionem dedit, ſed illi efferunt te ſupra votum, & meum & aliorum. Macte eſto facultatis & ingenij Cæſar, qui tam breui ſpatio de tam leui argumento, quale ſum ego ſcilicet, non modo verſus tam bonos fuderis, ſed tam multos. Etſi enim nos etiam illos dedimus, æque breui,

æque multos; adiungo etiam, vt modeſtiam tuam minus onerem, æque bonos: tamen in hoc melior fuit mea condicio, quod ego Virginem Deam, tu hominem vnum de multis ad laudandum ſumpſiſti. At enim tam felix fuiſti artifex, vt ingenio tuo nihil obſuerit, imo fortaſſe profuerit, materiæ vilitas. Sic ſtatuā ex luto aut limo, fictoris eximiam ſcientiam certius & expreſſius repræſentat, quam vel aurea, vel argentea. Sic vulgares colores melius pingunt pictoris ſui artem, quam pretioſi. & ille multorum gloriam obſcurauit, qui ſolo carbone ambiguas hominum imagines diſcriminabat. At mihi quidem æque omnia probantur: Muſa vxor duas voces non fert, & omnino putat delendas, FORTVNATE SENEX. Primum enim me fortunatum eſſe negat, quia patrimonium nullum habeam, & cum illa mihi nupſit, non aliam ſecum dotem attulerit, quam cęcitatem, claudicationem, mutilationem, pronuba paupertate: deinde ſenem non putat poſſe appellari tres propter cauſas, ætatem maxime fecundam, capillum denſum & nigricantem, naturam lenem, facilem, iuuenilem. Quinimo ait, te potius ſenem dici oportere, in quem tria illa conueniunt per contrarium relata: quippe qui fecundus non ſis, cum antea quædam edideris, nunc nihil edas, ſed effœtus; non niger, ſed Blancus; non lenis, dulcis, ſuauis, ſed Tetricus. poſt hæc vt illā rapiebat impetus cauillandi, filiolū hunc tuū curioſe intuita, & cōtēplata, quædā in toto corpore, quædam in ſingulis membris

bris notabat, ſed admodum leuia, quæ potius furorem illius indicabant, quam culpam tuam. in his erat exigua quædam, & vix apparens alterius pedis claudicatio. quam celare puer non potuit inter ſubeundum. facile agnoſces pater, & luxatum reſtitues cruſculũ.

Sed mihi (ſi tanto dignaris munere) paucis,
Quæ tibi tũ ratio, quæ mẽs foret, aurea tecta
Cũ ſubis, atq; Dei Magni ad cunabula ſupplex
Procumbis, preſſis nota ad veſtigia labris
Marce refer:

Cætera volo mihi credas, bona ſunt, & mihi maiorem in modum grata. Quin ego iſtud quoq; defenderim, ſi velis, non inuito Apolline. Vtinam aliquando facultas detur reponendi. nunc plane non datur, Muſa paulum reluctante ob recentem plagam. Sed mulier eſt, vxor eſt: placabitur facile, ſi quã alij ſenectutem nobis obiectant, eam illa non ſentiat. Vale.

Philippo Strozzio. 116.

VEniſſe te nõ ſemel ad me in Collegiũ, heri primũ accepi a Clariſſimo Arcis Pręfecto de Bubalo, propinquo tuo, domino meo. Et quid dicã? fuit mihi haud dubie moleſtius, quod me nũquã domi offenderis, quã iucundũ erat futurũ ſi offendiſſes, licet ſtudio ardeã incredibili, reguſtãdæ conſuetudinis tuę. Volui ſemel corrigere vno die, quod toties fortuna peccauerit. deſtino iter ad te poſt prandium, circa meridiem. nec me feruidior dici æſtus terrebat in ſpatio tam anguſto, ideſt dumtaxat

foro

ſoro intermedio toto. veneram namq; in Seminarium mane, vt primum rei diuinæ, quã Epiſcopus faciebat, intereſſem; deinde auſcultarem poſt veſperas ſolemnem conciunculam de pueris educandis. quantulum intra hęc ſpatium claudebatur, vnam ſcilicet atque alteram horam, tranſigere tecum volebam. ſed hoc quoque interuertit conſilium fortuna. obſeſſus diem totum in Seminario, reſpondere, caſtigare, docere coactus ſum. cenæ tempus pręcurrerat, nec dũ me ad reditum expediebam. ſi pluſculum diei ſupereſſet, credo cenatum apud vos veniſſem, vt pro mulcta præmium caperem. ſcio enim cum magnanimo creditore, hoc eſſe, debitum antiquum ſoluere, nouum contrahere. Sed extra iocum, quando habeam vel expectare te, vel expectari a te

——tuus eſt o Strozzi, quid optes,

Explorare labor, mihi iuſſa capeſſere fas eſt.

Vale poſtridie Id. Maias, Pentecoſtes die ſecundo.

Quinctio de Bubalo Præfecto Arcis. 117.

PErambulabam heri veſperi amœnos hortos ſodalium Franciſcanorum, eos dico, quibus Mons contra vrbem, & ſoccus ligneus nomen fecit: cum ecce tibi feſtinans puer a fratribus Magalottis. Et Heus tu, inquit, Laurentius & Carolus mei Domini te cupiunt cõuentum. eſt vterque in via: me propemodum

a colle

a colle medio præmittunt exploratum, ſi forte hic eſſes, quem domi non inuenerunt. Ego feſtinare, pedem conuertere, obuiam velle venire. puer vetuit, retinuit ex præcepto (vt dicebat) dominorum: mox vtrumq; preſto futurum. Expectaui ergo, nec domum prius redij, quam prope abijt dies. illi numquam aduenerunt, & quæſiti a meis per uiam, per pomaria, per latius patentem agrum, non inuenti. Miraberis, quæ tunc animo incidit cogitatio, & mœrorem leuauit meum. Magalotti, inquam, plus quinquies domum ad me venerunt, ſemper incaſſum. ego illos pariter incaſſum, ſed tantum ſemel in hortulo expectaui. bene agitur mecum, ſi grauem culpam leuis mulcta diſſoluit, & tot redimit fruſtrationes vna fruſtratio. quoniam eſt tamen cauſa melior illorum, mea deterior, cum ego illos toties feſellerim, & me illi non plus quam ſemel: rogo te nobiliſſimum atq. humaniſsimum Virum, illis intimum, & mei amantem, vt me ſuſcipias tuendum, & reſiduum hoc culpæ a me transferas in fortunam. Purgarem tibi me meumque factum pluribus verbis, ſi aut ratione, non gratia contenderem; aut non illis pro ratione, tua ſufficeret auctoritas. Vale poſtrid. Id. Iunias.

Comiti Ludouico a Firſtẽberg. 104.

HODIE primum mihi nunciauit puerorum nobilium præfectus, veniſſe te ante aliquot

Digitized by Google

aliquot dies in noſtrum Collegium, & cũ Diomede Corneo diutule locutum, quæſiſſe inſtanter de me. malus aliquis genius (quid enim putem aliud?) me in forũ illo die abduxerat. itaq; perdidi optatiſſimam, & auro emendam occaſionẽ tui conueniendi, & deuotionis teſtãdæ meæ. *Fateor* tibi, Comes Illuſtriſſ. humaniſſime, cum dudum hoc audirem, non amaui firmitudinem pedum, & valetudinem illius diei meam, qua inuitante, prodieram ad apricandũ. ægrotaſſe mallem, vt congreſſu & colloquio tuo frui liceret. Quid plura? potui non nimium odiſſe perpetuas hoſtes, podagram & chiragram, ſi me illo die crudelius accepiſſent, ac domi tenuiſſent. credo, cõſpectus tuus omnẽ cruciatum vel longe arcuiſſet, vel facile compenſaſſet. Vtcumq; autem caſura res fuit, doleo vehementer & ex animo, quod præſens meam obſeruantiam, meumq; obſequium exhibere tibi non potui: nec ſpes relinquitur fore aliquando, vt corrigãt diligentia, quod fortuna peccauit. Piſas verſus parari audio profectionem: cras diluculo Illuſtriſſimũ Fratrem, & te vna viam eſſe ingreſſuros. Quãobrem homo impotens adeundi, deducẽdi, atq; nauandi aliquid, ſupremos Cælites precor, vt hoc iter atq; incepta omnia vobis ex voto contingant. Mihi tantummodo ad clientelam veſtram a litum peto, & meç in vos fidei teſtem pariter atque ſponſorem do, colentem veſtri, amantem mei, Federicum Cauacepium. Ex Collegio S.B. prid. Cal. Maias.

Flaminio

Flaminio Lucatello.
Anconam. 119.

HOC vero, mi Lucatelle, ego numquã ſperaui, quod impudentis; ac ne optaui quidem, quod amentis fuiſſet, vt Guarinus meus de latino in etruſcum conuerſus, nouis inſuper adnotationibus, atq; tam vbere commentario augeretur. gaudebam, quod eum aliqui de Ciſalpinis, & nonnulli etiam trans Alpes in ludos publicos introduxerãt: putabã non exiguæ mihi gloriæ futurum ad poſteros. quod multi ex Piceno, plures ab Etruria, & Vmbri plane omnes meam docẽdi viam eſſent ingreſſi, & hac ducerent commodius, breuius, alacrius (ſic illi teſtantur) ad bonas litteras iuuentutem. Quod vero à tam inclyto dicendi & docendi magiſtro rudior libellus, quaſi puer peregrinus in nouam formam expoliretur, & vix duodecim natus annos, depoſita prætexta, virilem togam indueret: iterum dico, ſuperauit longo interuallo, non ſolum expectationem, ſed etiam cogitationem meam. Ad gaudij cumulum acceſſit, quod vidi cum illo etruſcis pariter inſignẽ veſtibus ſororem germanam, illã dico ædituãm vel oſtiariam, quæ pueros a Grammatico transducit ad Rhetorẽ. Ac vin'fatear Lucatelle? venuſtior mihi videtur adſpectus liberũm meorum in recenti habitu, quam in antiquo & ſuo. Quo ſum tibi

tibi obſtrictior veſtiario tam eleganti, & amico tam indulgenti: promptius ad gratiam referendam, quid ſi vnquam nauare tua cauſa nobis licebit. Faxit interea Deus, vt qualem mihi honorem tuus calamus peperit, talem pariat apud viuentes, apud victuros plauſum tibi & fructum tuis. Vale VII. Cal. Mart.

Marco Velſero V. C.
Auguſtam. 120.

SAuciauit me longe altius, & longe immanius, quam umquam putaſſem, nuncius acerbiſsimus de amiſſo Lipſio. quamquam enim erat valetudine perimbecilla, & iam adeo tenuata, vt minimum ſpei ſupereſſet vitæ longioris: tamen mihi animus blandiebatur interdum, & quod vehementer optabam, id nimirum fore facile credebã, vt lõgũ perennaret. Subaccenderat ſpem meam epiſtola, quam ab illo vltimã accepi, & credo ille vltimã ſua exarauit manu, data Calendis Februarijs, & mihi reddita octiduo ante funeſtas tuas. ea quoniam nullam habebat nouam querelam, ac tantummodo accuſabat ſenectutem; facile mihi perſuadebat, tot adhuc annos ſuperſtitem futurum, quot illa ætas recipere videbatur. quis porro hominem non dum ſexagenarium refert in ſenes? Ac vis videre, quã non falſo ille olim ſcripſerit ad VVouerium, Amantes ſæpe ad ineptias labi? Conſului de illius vita peritiſſimos aſtronomorum, & re-

pertus

pertus horoſcopus ſpatia ampliora promiſerat. Quæ ſingula in quantum auxerant lætitiam & ſpem meam; tãto eſt dolor ex fruſtratione moleſtior ac difficilior ad conſolandum. Nec me iſta multum leuant communia, vulgaria: Senex erat, vel prope ſenex: clarus vixit, clarior deceſſit: culmen gloriæ tranſcendit, quo rari veterum, nulli recentium adſpirarũt: denique omnibus naturæ, plurimis fortunæ bonis perfunctus, in memoria hominum perenne ſibi conſtruxit domicilium. Iſta, inquam, mulcent aliquo pacto, non ſanant dolorem. illa ſunt ad curandum non paulo aptiora remedia, quæ leguntur in tuis, de morte obita pie, conſtanter, chriſtiane. qui nimirum eſt villicationis humanæ non ſolum maximus fructus, ſed vnus fructus. Iuuat me inter cetera hoc habere compertum, quod Sãctiſsimam Dei Matrem, & cum ea noſtratem S. Franciſcum præcipuo ſemper cultu affecerit, eoſque Patronos ſibi delegerit, quibus ego ab ętatis primordio me, mea ſtudia, mea omnia dicaui. nec poſſum non ferre moleſte, quod meam nuper editam Seraphida legere non potuit, ab argumento probãdum illi opus. Et ſane, o Illuſtriſſime mi Domine, quonam alio labores, vigiliæ, ſtudia noſtra ſunt referenda? quibus planiſsime abutimur, ſi per ea faciliorem nobis adſcenſum non ſtrauimus & munimus ad vitam. ſi tam facile nos etiam ad interitum labimur, quam qui litteras ignorant; ego iam nunc renunciem Phœbo & Mu-

ſis. niſi iam dudum Eraſmos, & nuper Stephanos, & nunc Scaligeros cenſere habeam beatos, qui quos riuos doctrinarum ad Sapiętię illum Oceanum, vnde deduxerant, reflectere debuerunt; hos diuerſo itinere ad ſtygē compellunt, & veneno infectos propinãt. Felicem Lipſium! qui per Virginis ſemper cultæ præſens patrocinium, ab intento ſæpius periculo liberatur, & nunc fruitur pietatis, cōſtantiæ officij ſui præmio immenſo, æterno.

Habes in hanc ſententiam pluſcula, quam initio ſtatueram. Reliqua breuius complectar. Accepi a te alteram epiſtolam, & cum ea Lipſij effigiem, typis æneis expreſſam, eleganter vtramque; vt illam ego alijs, hanc mihi alij probarunt. Expecto tamen poſt non multas hebdomadas vberiora quædam, & magis expreſſa de funeralibus, vt epitaphia, elegias, laudationes. qualia officia ſpero ampliter exhibebūt Louanienſes, poſtremum ab illo culti atq; tranſcripti ad immortalitatem. ſic enim mihi claudit epiſtolam. ALIQVID tamen etiam nuper ſcripſi, quod LOVANIVM inſcripſi: eſt oppidi atq; Accademię huius breuis deſcriptio. velim habeas, videas, cenſeas, ſed ante omnia me ames.

In primis autē cupio certius aliquid audire de illius familia poſthuma. quam viuere vniuerſam noſtra intereſt ac poſterorum. licet aliqui non expoliti, non abſoluti; licet quidā vix inchoati, ſimileſq; naſcentibus appareant; denique licet ipſe vetuerit pater. cuius nihil gloriæ detraho, dum reipublicę volo eſſe con-

ſultum

fultum. Vt enim Veneris caput, aut brachium, aut digitum, quem ſiue Phidias, ſiue Praxiteles formarit, longe plures æſtimaremus, quam Giotti alicuius totas Palladas, aut Mercurios: ita vnum Lipſij fragmentum (meo quidem iudicio, & veſtro etiam cenſorum nobilium) præponderat voluminibus multis multorum. De his quo alacrius, & accuratius mihi ſignifices; contra ſpondeo te quoq; habiturum, ſi quid forte a noſtris. iam nunc cape arrham a Flaminio (vt Lipſius diceret) tuomeo de Biſcacciantibus in diem mortualẽ;

Ad Cenā Domini quod ſcādis in ardua, LIPSI,
Aethera; mirari deſino: IVSTVS eras.

Patrem Iacobum Pontanum Comitoli Antiſtitis, ac meo nomine volo etiā atq; etiā ſalutere. Vale Peruſiæ *VIII.* Cal. Maii *M DCVI.*

Hieronymo Mercuriali. Piſas. 108.

TRIſtiſſimū nuncium de obitu Iuſti Lipſii, auſim ſpondere, non ad quemquam noſtratium veniſſe celerius, quam ad me. Vir Clariſſimus Marcus Velſerus hanc ſtatim epiſtolam ad me miſit, quā nunc ego ad te: ſcriptā ſcilicet Louanio a.d.x. cal. Aprilis, quo die Lipſius migrauit è vita; & mihi redditam poſt diē xij. cal. Maij, hoc eſt tātū ſeptimo, & vigeſimo poſt die, quam fuerat data. præſtrenue, vt vides, cū Louanium a nobis abſit decies cētena paſſuum millia, & ducēta. itaq; litteræ a Lipſio ſiue Romam, ſiue Florentiam ſecundo

poſt

poſt mẽſe afferri ſolebant, raræ triduo vel quatriduo celerius. iſtę mihi qua venerint, & quibus pennis volauerint, neſcio: niſi hoc Velſerus teſtatur, continuo ſcriptas, & ſtrenuo tabellario datas, mihi vero & volucri videtur. Miſi ergo ſtatim ad aliquos amicorum, quibus & ſi acerbum nuncium, tamen gratum putaui fore officium meum. Sed cur, inquies, non ſtatim ad me? quem ſciebas amantem Lipſij, & amatum Lipſio in pauciſſimis? Dicam tibi mi Domine: Quoniam ego quoque colebam Lipſium ex animo, & ille me non vulgariter diligebat: (teſtes habeo litteras ſeptenas, in his vnas paucis ante obitum diebus) perculit me tam immaniter ille nuncius, vt me crediderim parum amice, ac prope hoſtiliter fuiſſe facturum, ſi tibi talem plagam ego primus infligerem. nunc niſi alius ad te ſcripſerit, certe fama pertulerit: quæ quoniã ſæpius fallit, & ſuſpicionem facit mendacij, fortaſſe leuius te vulnerarit, quam celeres & certæ a me litterę feciſſent: hæ vero in tempore pręſto adſunt ad vulnus, ſi non penitus ſanandum, certe non mediocriter leniendum idoneo fomento, quod ſecum afferunt, concinnatum ex pietate, conſtantia, gloria morientis. Tu viue & Anſidæus noſter: cui hãc volo epiſtolam eſſe communem, vt ſcio communẽ ambobus, & fore affectũ aduerſus Lipſiũ, & eſſe amorem aduerſus me macti vterq; ingenij opibus & copiarum! hoc pluris in poſterum æſtimandi, quod tantam deminutionem, quãta eſt facta de litteris in vno Lipſio,

veſtra

veſtra in primis elegantia & doctrinæ varietas conſolatur. Valete.

Ericyus Puteanus M. Ant. Bonciario. S. D. 122.

PErlege libellum iſtum, & variè adfectum animum meum cognoſce. Tu quoque illius pars es: & IVSTVS LIPSIVS, heu, ſi annos numeramus, violenter nobis ereptus. Ego in locum munuſque extincti vocor: & iturus ſum. Vale mi eruditiſſime BONCIARI; Imo vale Italia; tu amande ſemper, & hæc amanda. Mediolani, Pridie Idus Iun. ∞. IↃC VI.

IVSTI LIPSII. Epitaphium. IPSO AVCTORE.

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMAN.

QVIS hic ſepultus, quæris? ipſe ediſſeram.
Nuper locutus & Stilo & Lingua fui:
Nunc altero licebit. Ego ſum LIPSIVS,
Cui Litteræ dant nomen, & tuus Fauor.
Sed nomen. ipſe abiui: abibit hoc quoque;
Et nihil hic orbis, quod perennet, poſſidet.
Vis altiore voce me tecum loqui?
HVMANA CVNCTA fumus, umbra, vanitas,
Et ſcenæ imago, & verbo ut abſoluam,
NIHIL.

Digitized by Google

Hannibali Valeriano, in Seminariũ.

ARDEO cupiditate incredibili conueniendi Barſianum noſtrum, & mea cauſa, & ipſius. neque hunc ardorem brumale frigus aut extinguit, aut ſic retardat, vt non vltro venturus ad vos fuerim, ſi pes ferret infirmior, quem ſolet per hiemem. verebar etiam, ne obuenirem importunus occupato, ſi forte nondum habuiſſet Orationem, de qua mecum communicauit. quod ne nunc quidem ſatis habeo compertum: ſed coniectura ducor, vt iam ſuſpicer, eſſe otioſum, & defunctum illa moleſtia cum dignitate. Hoc igitur ſi vere coniecero, monebis hominem, quæ prima erit facultas horſum eundi, ne omittat, diuertatq; in Collegium ad me. diecula m poſco pęne non ampliorem, quam quãta opus fuit ad hanc ſchedulam mihi exarandam, tibi legendam. Si vero conceptam laudationem non adhuc peperit, caue moleſtus ſis laboranti. da ſpatium, dum leuatur, dum reficitur: nec trahe per vias pręgnantem aut puerperum. Vale.

FINIS.

Digitized by Google